AUTHOR:

RICHTER, HEINRICH

TITLE:

DE STILICHONE

PLACE:

HALIS SOXONUM

DATE:

[1860]

Master Negative #

91-80200-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Richter, Heinrich.
De Stilichone et Rufino, dissertatio ... quam ... defendet auctor Heinricus Richter ... Halis Saxonum, typis expressum Orphanotrophei, [1860]
59 p. 21 cm.

Thesis. Halle.

No. 1 of volume of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/28/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

STILICHONE ET RUFINO.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE IMPETRANDORUM CAUSA

DIE XXXI. MENSIS IULII A. MDCCCLX

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HEINRICUS RICHTER

ALBINGIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. BORETIUS, I. U. DR.
A. LIBER BARO SENFFT A PILSACH, I. U. CAND.
R. BOUTERWEK, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

VIRO DOCTISSIMO CLARISSIMO

GUSTAVO HERTZBERG

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET IN ACADEMIA HALENSI
HISTORIAE PROFESSORI

PRAECEPTORI FAUTORI AMICO

HUNCCE LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

De Stilichone et Rufino.

Caput I.

De imperio Romanorum diviso a Theodosio magno; de moribus atque indole Arcadii imperatoris, Rufinique praefecti.

Proeliorum quae quarto post Christum natum saeculo a Romanorum imperatoribus commissa sunt, nullum fere a catholicae religionis scriptoribus ita celebratum videtur, quam quo ad flumen Frigidum Theodosius imperator orthodoxus superavit Eugenium „tyrannum“ [1]). Iterum enim tum gravissimum illud in discrimen vocabatur, utrum catholicae fidei addicti an pagani et haeretici in orbe terrarum principatum obtinerent; quod Theodoretus et Cedrenus ita expresserunt, ut Theodosii militibus crucem, Eugenii vero copiis Herculis imaginem antecessisse dicerent [2]). Votis igitur precibusque omnes pagani,

1) De miraculis quae in hoc proelio accidisse dicuntur, vid. Orosius VII. 35. Augustinus de civitate Dei V. 26. Theodoret. V. 24. Cedrenus ed. Imm. Becker I. pag. 567. Sozomen. VII. 24. Socrates V. 25. Paulinus, vita St. Ambrosii capp. 31 et 32. cf. Claudianus de III. cons. Honorii v. 120—126. — De ipso proelio, quomodo factum sit vid. Zosimus IV. 58 et Philostorg. XI. 2.

2) Theodoret. V. 24. Cedrenus I. pag. 567. — Paulinus de vita St. Ambrosii cap. 31: „promiserat enim Arbogastes tunc comes et Flavianus praefectus, Mediolano egredien-

quibus Victoriae statuam in senatu Eugenius restituerat[3]), omnes Ariani, ceteri haeretici, qui eadem Eugenium in ipsos usurum esse indulgentia speraverunt, qua Valens Arianus paganos tractaverat, felicem copiarum imaginem sequentium Herculis successum, illi a Diis, hi a Deo expoposcerunt[4]). Sed Theodosius vicit tanta victoria, ut dehinc de catholicae fidei in regno Romanorum principatu non amplius armis decerneretur.

Quod proelium ultimum fuit a summo imperatore gestum.

Quum iam aerumnis quas tunc et superioribus bellis sustinuerat, eius valetudo labefacta esset, finem vitae appropinquare sensit; quare de imperio ac successione regni magna Theodosio cura erat[5]). Itaque iuniorem filium Honorium quam celerrime Mediolanum accivit Constantinopoli[6]); et quum Arcadio filio natu ma-

---

tes, quum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica Mediolanensi, atque clericos sub armis probaturos." — Monachi ut militarent, iam antea Valens, anno CCCLXXV legem dederat. Hieronymus chronicon. Orosius VII. 33. — De Eugenio, „haud sincero animo erga religionem Christianorum affecto (*οὐχ ὑγιῶς κατακείμενος περὶ τὸ δόγμα τῶν χριστιανῶν*)" et „mutationem religionis Christianorum cogitante (*καὶ μεταβολὴν τῆς χριστιανῶν θρησκείας*) v. Sozomen. VII. 22. et Gothofredi dissert. in Philostorgii lib. XI. cap. 2.

3) Paulin. vita St. Ambr. c. 26. Symmachi relationem „ad Valentinianum pro ara Victoriae in senatu restituenda" vid. in epist. XVIII. St. Ambrosii „contra Symmachum, beatissimo principi et christianissimo imperatori Valentiniano scripta". Prudentius poeta contra Symmachum.

4) Philostorgius Arianus illud proelium miraculorum narratione non celebrat.

5) Socrates V. 26 dicit: *μείζονα τηλευτῆς, περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων εἶχε φροντίδα·*

6) Zosimus, ut omnino saepius errat, dicit IV. 58 init., Theodosium adversus Eugenium exercitum moventem, Honorium filium secum in Italiam duxisse; quod et Marcellinus comes exhibet in chronico; contra Sozomen. VII. 24, 29. Socrates V.

iori destinasset orientalem partem imperii, eique Rufinum Gallum, quem imperator sibi habebat familiarissimum, coniunxisset tutorem atque orientalis imperii praefectum, — provincias occidentales subdidit Honorio, Stilichone Vandalo tutore atque praefecto[7]), quem quum iam antea, fratris sui filia in matrimonium data Serenâ, insigni honore ornaverat, tum hoc demum tempore, remotum a Rufino aemulo[8]), et in bello contra Eugenium tyrannum omni modo probatum, in summam caritatem recepisse videtur.

Imperium Romanum ita a Theodosio magno divisum, iam inde a Diocletiani temporibus saepius dispertitum esse constat; nihilominus anterioribus aetatibus divisio nunquam diuturna fuerat, quum et populus Romanus et imperatores, vel de summa imperii armis inter se disceptantes, orbem terrarum non nisi ad commodiorem tam administrandi quam defendendi rationem divisam esse pro certo habuissent; neque unquam indissociabile corpus regni in novas atque inimicas civitates et certis finibus circumscriptas et certis „gentibus regnatricibus" subditas dilacerari posse putaverant. Etenim partitio etiam a Theodosio instituta, a cunctis aequalibus certe, ac fortasse ab ipso Theodosio pro ultima et sempiterna non habita; quid de ea sentirent Romani, Marcellinus comes in chronico (et secundum eum Iordanis[9]) his fere exprimit, „Arcadius" scribens, „et Honorius germani utrumque imperium, divisis tantum sedibus tenere coeperunt." Ex legibus quoque in codice

---

25. 26. Claudianus de III. cons. Honorii 73. 83; de IV. cons. 385; de VI. cons. 93 seq.

7) Philostorg. XI. 3 dicit, sub Praefecti appellatione XI. „*ἐν ὑπάρχου προσηγορίᾳ*" — Rufinum in Oriente, in Occidente vero Stilichonem summam potestatem habuisse.

8) vid. infra.

9) Iordanis de regnorum ac temporum successione verbo tenus exscripsit Marcellinum comitem.

Theodosiano scriptis, utriusque imperatoris nomine latae sunt et illae, quas suo tantum imperio, nescio fratre, imposuerat vel Arcadius vel Honorius; immo utriusque consulis alter ex orientali alter ex occidentali factus est imperio, quum paulo ante, Theodosio regnante, Orientis viri per tres annos honorem acceperant ut anno nomen darent [10]).

Theodosius vero, his omnibus constitutis, die XVII. mensis Ianuarii anno CCCXCV mortuus est, hortatus filios eorumque tutores, ut integram ac solidam pietatem retinerent, hac enim pacem praecipue conservari [11]).

Recentiorum quidam scriptorum [12]) vituperat Theodosium magnum tam prudenter omnia in animo secum considerantem, qui imperium bipartivisset. Sed respicienti terras vix adhuc in integrum restitutas, nihiloque quam in usurpatoribus edendis fertiliores, et barbaros vel seditiones vel invasiones reipublicae semper minitantes, et filios ipsos qui essent et quos annos nati, Theodosius iure vituperatus non videtur.

Arcadius enim Orientis imperator XVIII annorum iuvenis erat tantae segnitiae atque socordiae, tam pinguis ingenii [13]), qui viri privati filius vix infimum reipublicae ordinem assecutus esset. Hunc liber ille et magnanimus Synesius frustra hortatus est „ut ex palatio in campum descendens, arma, viros, equos inspiceret, ut veheretur cum equite, curreret cum pedite, et in armis exerceretur inter milites gravis levisque armaturae [14]). Illis temporibus quibus regno summa pericula iterum iterumque imminebant, sine dubio princeps minimae tantum industriae, minimi gloriae studii, extremos domi militiaeque labores subiisset; Arcadius autem animi socordia non nisi ad calligraphorum artem exercendam perductus est, qua sola excelluit, ita ab Arsenio doctus [15]); neque unquam in tot proeliis, Arcadio regnante commissis, inter milites imperator versatus est, neque quidquam suo consilio atque arbitrio de repuplica gubernanda constituit, sed regia auctoritate ac nomine abuti familiares passus est, qui quum summam rerum in aula tenerent, contra inimicos, contra cives, contra imperium, sed in ipsorum commodum leges dictarent. Quibus, viris eunuchis mulieribusque, qui — variae gentis atque indolis — per vices palatio atque imperatori praeerant, Arcadius, licet alium timebat, alium non amabat, fere servorum modo obsecutus est; qui ut alter hominum illorum alterum oppresserat, eiusdem familiaris nomen atque memoriam damnare solitus erat, quem paullo ante summis honoribus, summo obsequio coluerat.

---

10) Fasti Idaciani ad annum 394, Arcadio Aug. III. et Honorio Aug. II. coss.; ad 393, Theodosio Aug. et Abundantio; de Abundantio vid. Tillemont histoire des empereurs; l'emp. Theod. art. LXXIV. l'emp. Arcade art. VIII.; ad 392, Arcadio Augusto II. et Rufino coss.

11) Theodoret. V. 25. ita fere loquitur, quasi locum ex Theodosii testamento citet; de quo testamento mentionem facit Ambrosius episcopus in oratione in funere Theodosii.

12) Kortüm, Römische Geschichte, Abschn. 4. §. 69. „die von Theodosius in einem unbewachten Augenblick verfügte Theilung."

13) Zosimus V. 24. *τοῦ γὰρ βασιλεύοντος ἐσχάτως ἀνοηταίνοντος·*

14) Synesius de regno XIII.

15) Cedrenus I. pag. 574. *ἓν μόνον ἔχων πλεονέκτημα τὸ καλῶς γράφειν, ὃ παρὰ τοῦ μεγάλου Ἀρσενίου ἐξεπαιδεύθη.* At „religiosissimus" erat Arcadius; Hieronymus epist. ad Ageruchiam §. 17. Socrates VI. 23; et multas leges pro ecclesia catholica et contra haereticos edidit. v. Codex Theod. XVI. 2, 32. XVI. 2, 23. XVI. 5, 32 ac 36. contra Eunomianos. XVI. 10, 16 de templis paganorum sine turba ac tumultu dirnendis; attamen obedientior erat familiaribus suis quam religiosior, nam Eutropius eunuchus eum movit, ut contra ecclesiarum ius asylum aperiendi legem promulgaret. Socrat. VI. 5. Sozom. VIII. 7. cf. cod. Th. IX. 45, 3.)

Contra Rufinus indolis erat plane alius; qui quum iam ipsa corporis forma Arcadium longe superaret, et imperatoris et regni moderator fato atque natura constitutus sibi videbatur. Arcadius quippe statura parvus, corpore admodum deformis [16]), habitu macilentus viribusque debilis; animique socordiam tam sermones manifestam reddebant quam oculi somnolenti, quos quum attollere difficiles essent, demissos semper praeferebat. Rufinus vero procerus erat ac strenuus, et eius ingenium oculorum motus arguebant; sermone quoque promptissimus Rufinus, quum Arcadio dicendi illis temporibus gravissima facultas omnino deesset [17]).

Novempopulana oriundus [18]) Rufinus e patria urbe Elusa, quod erat illius regionis caput, honorum divitiarumque studio ductus [19]), Constantinopolim profectus est. Etenim quum esset tam profundo consilio praeditus [20]) et occultator animi [21]) quam summa industria et in publicis officiis, regnante Theodosio gestis, magna quadam habilitate quod sibi laboravit assecutus est. Quem Zosimus ad annum CCCXCII magistrum ordinum palatinorum appellat [22]), apud imperatorem honoratissimo loco habitum ex omnibus quibus commissi magistratus essent.

---

16) Cedrenus I. p. 574.

17) Philostorg. XI. 3.

18) Zosim. IV. 51. init. Ῥουφῖνος, Κελτὸς τὸ γένος..

19) Claudianus in Rufinum I. v. 137. .... invadit muros Elusae (scil. Megaera)

v. 140. otia te, Rufine iuvant, frustraque iuventae
consumis florem patriis inglorius arvis?

vid. Tillemont vol. V. note I. sur l'empereur Arcade.

20) „βαθυγνώμων" Eunapii fragmenta e Suida Scriptorum historiae Byzantinae ed. Bonnens. pars I. p. 112.

21) „κρυψίδος" ibid.

22) Zosim. IV. 57. μάγιστρος τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων καταστάς.

Theodosium, idem narrat rerum scriptor, omnia ei credidisse, et ne duces quidem qui tot pro republica exhausissent pericula, comparatos ad eum magni aestimavisse [23]).

Mira fere vi Rufinus magni principis animum sibi conciliaverat, qui nunquam turpissimi familiaris morem et naturam cognovit; magna enim fuisse videtur Gallus in conversatione facundia et animi alacritate, habebatque sal iocorum [24]); atque „didicit simulare fidem, sensus minaces protegere, blandoque fraudem praetexere risu" [25]).

Sed in eo maxime autoritas, qua apud principem valebat Rufinus nitebatur, quod vitiis atque erroribus magni imperatoris callide inservire solitus erat. Nam nihil a Theodosio male actum nobis traditum est, cui Gallus non fuerit affinis.

Hunc igitur virum callidum superbumque Theodosius deceptus habuit aptissimum qui et Arcadium filium curaret educandum et regnum orientale gravissimis temporibus administraret. Postquam vero princeps, Italiam ingressus, Mediolani morte abreptus est, et nota iam praefecti vitia et alia gravissima, quae adhuc meliorum morum specie occultaverat, in lucem evaserunt; inter quae notissima Galli insatiabilis avaritia, qua non solum ad cuiusmodi scelera perpetranda perductus est, sed etiam non sine iure accusatur, qui ipsius reipublicae extremam fere perniciem paraverit. Huius aetatis scriptores omnium et gentium et sacrorum in condemnanda Rufini avaritia et nequissima imperii regnandi ratione consentiunt [26]).

---

23) ibid.

24) Symmachi epistolae lib. III. pag. 81—89 ad Rufinum.

25) Claud. in Ruf. I. 98—100.

26) De Rufino v. Symmachi epist. VI. 14: „Dubitare vos video, an Rufini poenam secuta sit etiam publicatio facultatum.

Rufinus autem non solum ad voluptatem qua divitiis cumulandis avari delectari solent, sibi comparandam et privatos et rempublicam exhausit, sed auri copiâ in appetendis altioribus et gravioribus rebus sese vehementer adiuvari satis perspexerat.

Quum vero non avaritia solum, sed etiam summa ambitione flagraret, in dignitate quâ a Theodosio imperatore ornatus erat, acquiescere noluit; sed qui suo arbitrio regnum orientale moderaretur, sceptri particeps sociusque iuvenis imperatoris et appellari et adorari studuit. Satis iam sciebat Rufinus, anterioribus aetatibus saepissime imperatorum vel generis vel soceris ab Augustis ipsis dignitatem Caesaris delatam esse; quibus rebus Gallus summo studio id egit, ut filia sua Arcadio in matrimonium danda ipse imperii socius declararetur [27]). Quum iam summa divitiarum copia et deditissima familiarium adulatorumve grege vehementer adiutus, ceteros gravioris auctoritatis viros orientalis imperii opprimeret, princeps autem Gallo in omnibus rebus adhuc obedientissimus esset, in illa regni Romani parte omnino

Fides praesto est imperialibus praeceptis. Et tamen praedonis annosi merita pendentibus, non fuit ambigendum, quod spolia orbis desiderat aerarium." Hieronym. epist. ad Heliodorum „dedecus insatiabilis avaritiae" Zosim. V. 1. verbo tenus fere exscribit Eunapii quod e Suida nobis relictum est; Eunapii historiae fragmenta e Suida corpus Byzant. pars I. pag. 112; atque Suidas lit. ϱ. Socrates VI. 1. Sozom. VIII. 1. Philostorg XI. 3. Orosius VII. 37. Claudiani libri II in Rufinum. Theodoret. V. 18. Cedrenus I. pag. 558.

27) Zosimus V. 3. *Ῥουφίνου ..... οἰομένου δὲ, ὅσον οὐδέπω τὴν αὐτοῦ θυγατέρα τῷ βασιλεῖ συνοικήσειν, κοινωνήσειν τε αὐτῷ μετ' οὐ πολὺ τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς.*

Claudianus in Rufin II. 381. ..... graviterque apprensa veste morantem,
Increpat Augustum: scandat sublime tribunal:
Participem sceptri, socium declaret honoris.

non fuit, qui posse obsistere ambitioni Rufini videretur. Neque tamen praefectum fugit, summum virum, qui Honorio puero, occidentalis regni principi praeerat, iamdudum Gallo infestissimum, magna moliri, quae ad praefecti orientalis interitum spectabant.

Caput II.

De Stilichone Vandalo.

Honorius Augustus, cui Stilicho erat sub praefecti nomine tutor, anno CCCLXXXIV die IX. Septbr. natus[1]. in cunabulis, quum ipsum vocabulum „Consul“ enuntiare nondum posset, consul factus est a Theodosio patre[2], qui septem annis post, bellum contra Eugenium usurpatorem parans, filium nonum annum agentem e puerilibus ludis in Hebdomi tribunal deduxit, ut puer Augustus solemniter declararetur[3]. Post unum vero annum Honorius a patre aegrotante una cum patrui filia Serena[4], Stilichonis uxore, Constantinopoli Mediolanum accitus, primum exercens Augusti officium, patris loco moribundi ludis praesedit. Nocte insequente quum pater mortuus esset, Honorius tum decem annos natus, regnum iniit. Quibus rebus Stilicho, clarissimus vir, socer tutorque pueri Augusti, summam imperii tenebat, suis descriptionibus omnis reipublicae moderationem

1) Fasti Idac. Ricomere et Clearcho coss.

2) Fasti Idac.; Claud. III. cons. Honorii 153—156.

3) Socrates V. 25. Sozom. VII. 22.

4) Simonis „Versuch einer Geschichte des Königs Alarich“ pag. 14, vult, Serenam, Stilichonis uxorem, quam cum Honorio Mediolanum venisse supra exhibui, Constantinopoli remansisse; „und scheint dem Stilicho Nachricht gegeben zu haben von den Umtrieben des Rufin.“ Quo valde erravit, ea non respiciens quae dicunt Claudianus de VI. cons. Honor. 92:

Ipsa per Illyricas urbes Oriente relicto
Ire Serena comes, cet. . . . . .

Socrates V. 25, 26. Sozomen. VII. 29. Argumento vir doctissimus utitur Claudiano: Laus Serenae v. 233 seq. Hic vero poeta ea canit, quae Theodosio vivo, contra Stilichonem Thraciae praefectum Gallus conatus erat.

continebat, suo arbitrio sua auctoritate atque amplitudine omnia decernebat regnabatque.

Stilichonem anno CCCLIX, Constantio Constantini Magni filio regnante[5] in Pannonia natum esse verisimile est; erat enim oriundus ex Vandalis[6], qui illis temporibus Pannoniam habitabant[7]; cuius patrem tunc in hac provincia moratum esse putares; nam Valente demum principe idem, ut Claudianus exhibet, quasdam alas „rutilantes crinibus“ duxit.

Patrem vero, fidum quidem et bello strenuum virum, res memoria dignos gessisse non traditur; quem Claudianus poeta canit, eo potissimum de republica meritum esse, quod Stilichonem genuerit[8]. Quo iam tempore Valens imperator in pugna ad Adrianopolim contra Gothos pugnata periit, Stilicho sextum decimum annum egit. Deinde Theodosius, Valentem paucis mensibus post in imperio secutus, non tam maiore barbarorum studio certe, quam prudentiore rerum publicarum considerandarum ratione ductus, barbaris cuiusvis gentis amicissimum sese praebebat. Qui quum vidisset Vanda-

5) Anno CCCLXXXIII aut CCCLXXXIV Stil. „vix primaevus“ (Claudianus de laudib. Stilichonis I. 51) Babylona de pace missus est; quo patet, et hocce anno XXV eum vel XXVI annos natum fuisse, (v. codex Theodos. XIII. 10, 6) et ad annum CCCLIX circiter in vitam venisse.

6) Orosius VII. 38. Stilicho, Vandalorum imbellis, avarae, perfidae et dolosae gentis genere editus.

7) H. Leo, Vorlesungen über die Geschichte des deutschen Volkes und Reiches. Bd. I. Vorlesung 25, pag. 273. Papencordt, Geschichte der vandalischen Herrschaft in Afrika; Kap. I. pag. 7—8.

8) Claud. de laud. Stilich. I. v. 35: Quid facta revolvam
Militiamque patris? cuius producere famam,
Si nihil egisset clarum, nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilicho.

lum pulchrum ac vegetum, gratum ei fuisse videtur, quod mente ardua nobilis iuvenis semper excelleret, et „erectus acerque“ inter ceteros procederet; „neque haereret potentium blandiens liminibus, et iam digna fatis futuris loqueretur“ [9]). Quo factum est ut per singulos quosque militiae gradus inferiores ad altiores honores celeriter progressus [10]), ingenii vi et integritate Stilicho assecutus sit, quod Rufinus aliique versutia et humilitate.

Iam quidem Claudianus poëta contendit, subitam illam et illustrem, qua Vandalus inter Romanos fructus est felicitatem, nullum Stilichoni invidisse [11]). Rufinum vero Gallum omittit poëta, Theodosio familiarissimum, quem felix Vandali ab imperatore vehementer foti successus anxium et inquietum habuit, ita ut acerrimas contra Stilichonem inimicitias gereret.

Hunc ut honore deiiceret, commodam tandem nactus esse occasionem sibi visus est. Ansam dederunt res Promoti, Stilichonis in Thracia decessoris, intima insuper amicitia Vandalo coniuncti [12]).

---

9) ibid. v. 39. Mens ardua semper
A puero, tenerisque et iam fulgebat in annis
Fortunae maioris honos. Erectus et acer
Nil breve moliri, nullius haerere potentum
Liminibus, fatisque loqui iam digna futuris.
Iam tum conspicuus, iam tum venerabilis, ibas
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis!

10) Claudianus laudator canit: laus Serenae v. 194
.... commissosque labor sic gessit honores,
Ut semper merito princeps cum magna dedisset,
Deberet maiora tamen.

11) Claud. laus Seren. v. 200. 201. v. 210. 212.

12) Claud. de laud. Stilich. I. 102.
. . . . . turmas equitum peditumque catervas
Hostilesque globos tumulo prosternis amici.

Nam quum Theodosius imperator post victoriam de Maximo reportatam, Thessalonicam [13]) rediisset, consilium publicum quodam die habitum est absente principe; hic Rufinus paullo ferocius verbum in Promotum ducem iactat; Promotus re iniuriam reddens, manum ori impegit Galli, eumque percussit. Rufinus offensa facie adivit Theodosium, a quo impetravit, ut dux ille acrior quam prudentior — quamquam nuperrime ipsum imperatorem in Macedonia a barbaris fere [14]) oppressum e magno periculo eripuerat — tamen de palatio depulsus, remotiore loco commorari iuberetur, ubi magnus dux ad rei bellicae studium milites [15]) exerceret. Quod quum Rufinus obtinuisset, barbaros quosdam (Bastarnas sine dubio [16])) in insidiis collocat, qui Promotum iter facientem et nihil huiusmodi suspicantem occidunt [17]). Quam caedem seditio barbarorum per Thraciam sparsorum secuta est; superbi enim pronique ad bellum barbari iterum provinciam illam, iam saepe ab inimicis oppressam, et pervagari et depopulari coeperunt. Stilicho autem, et Thraciae praefectus provinciam vastatam et Promoto amicissimus ducis nobilissimi necem ulturus, cum exercitu approperavit, qui, quum caedem Promoti a Rufino ipso vindicare non posset, et percussi amici et seditionis poenas tamen a barbaris peteret. Itaque Bastarnas ingressus magnam eorum equitum peditumque numerum prostravit, reliquos Hebrum ad flumen vallo fossaque circumvenit [18]); primum hoc loco, quantum scia-

---

13) Zosim. IV. 68.

14) Zosim. IV. 49.

15) Zosim. IV. 51. *ἀναπείθει τὸν βασιλέα κελεῦσαι τῶν βασιλείων ἔξω που διατρίβειν Προμώτῳ καὶ τῇ περὶ τὰ πολέμια μελέτῃ τοὺς στρατιώτας ἀσκεῖν.*

16) Claud. de laud. Stil. I. v. 96.

17) Zosim. IV. 51. in fine. *χρησάμενον δὲ τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς βασιλεῦσιν εἰλικρινῶς.*

18) Claud. de laud. Stil. I. 94.
Quis enim Mysos in plaustra feroces

mus, eà belli faciendi ratione usus, quà postea et in Pholoë monte Alarichum Gothorum ducem ad internecionem usque compressit, et in Italia bis de barbaris summam victoriam reportavit.

Iam vero omnes barbarorum per universam Thraciam septentrionalem gentes dispersae ad bellum consurrexerunt, Alanorum, Hunnorum, Gelonum, Gothorum Sarmatarumque permixtae catervae adventarunt, qui Stilichonem delerent, Bastarnas expedirent. Nihilominus fortissimus Vandalus de Bastarnis impugnandis minime destitit, neque longum aberat quin hi barbari perirent; sed venerunt ab imperatore missi, qui ut obsessi solverentur iisque foedera praeberentur instituerunt [19]; nam huiusmodi barbaris sese ostendere benevolum prudentissimam Germanorum conciliandorum rationem expertus erat Theodosius [20]. Reliqui barbari vagi, quomodo sint vel victi vel pacati, non traditum est; quos in im-

---

Reppulit, aut saeva Promoti caede tumentes
Bastarnas una potuit delere ruina? —
— — — — — —

v. 102. . . . turmas equitum peditumque catervas
Hostiles globos tumulo prosternis amici.
Inferiis gens tota datur. (Nec Mulciber auctor
Mendacis clipei, fabricataque vatibus arma
Conatus iuvere tuos.) Tot barbara solus
Millia iam pridem miseram vastantia Thracen
Finibus exiguae vallis conclusa tenebas.

19) Claud. ibid. v. 110.
Nec vaga Chunnorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getae, non Sarmata conto,
Exstinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Augustas occultus proditor aures,
Obstrueretque moras, strictumque reconderet ensem
Solveret obsessos, praeberet foedera captis.

20) Iordanis de Getarum, sive Gothorum origine et rebus gestis c. 29 Theodosius amator pacis generisque Gothorum. Zosim. IV. 30, 31, 34, 39, 40, aliisque complurimis locis eiusdem libri.

perii Romani provinciis agros accepisse et in numero foederatorum receptos esse fere crediderim.

Omnino Theodosius, vir et bellica fortitudine praeclarus et rerum civilium peritissimus, illa tractandi barbaros ratione nihil nisi salutem imperii spectavit; Stilichoni autem hunc expeditionis suae contra Promoti percussores Thraciaeque vastatores exitum magnam iniuriam, magnum dolorem intulisse, facile intelligas; adde quod Vandalum Serena uxor, Byzantii versata, epistolis docuerat, Rufinum illum non nisi ad offendendum Stilichonem fraudibus suis Theodosium commovisse, qui a Bastarnis dirimendis Stilichonem revocaret. Neque vero in eo Gallus acquievit; qui quum iniurias quas ipse potentibus viris intulerat non nisi eorundem interitu sanandas duceret, iam summo studio perniciem Vandalo machinari pergebat, et omni modo ut adversarius opprimeretur, Theodosium incitare conabatur. Atque spes Galli fraudesque ad irritum fortasse non cecidissent, nisi Serena, a Stilichone marito prudentissimo consilio apud patruum relicta, „rimata latentes motus“ mandatis scriptisque virum quae imminerent, quaeque facienda essent monuisset [21]. Stilichoni vero, quum temporibus inservire calleret, contigit ut non solum ex laqueis a Rufino ei positis integer incolumisque evaderet, sed etiam, recuperatà Theodosii gratia ac favore, impetraret, ut a principe anno CCCXCIV contra Eugenium tyrannum Arbogastemque Francum profecturo, secundum Timasium [22] exercitui ipse praeponeretur.

---

21) Claud. laus Serenae 233: Tu sedula quondam
Rufino meditante nefas, quum quaereret artes
In ducis exitium, coniuratosque foveret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum scriptisque monebas.

22) Timasius pervetus dux, iam inde a Valentis temporibus magister militum, una cum Promoto duce copiis contra Maximum tyrannum ductis praefuerat.

Militum ad bellum Eugenianum delectorum ex Asiaticis provinciis erant plurimi, quos ex Ponto, Cappadocia, Armenia, Syria et Arabia ceterisque orientalis praefecturae regionibus Augustus acciverat [23]). Hic adiunxit viginti millia [24]) Gothorum foederatorum, quibus Gainas Gothus arianus [25]), Saulus Gothus paganus [26]), et Bacurius ex Armenia oriundus, vir rerum bellicarum peritissimus praefuit [27]).

Praeterea imperator Alaricho Gotho nobilissimo copiarum foederatarum quandam partem ducendam sub inferioris gradus nomine tradiderat [28]). Quo contigit ut idem Alarichus, qui postea iterum iterumque in summo discrimine de Graecia et Italia cum Stilichone certavit, tunc ipso Stilichone duce bellum perdisceret.

Hoc modo constituto exercitu, delectis ducibus, bellum gesturus imperator discessit Constantinopoli; relicto Honorio filio et Arcadio, qui iam ante fuerat imperator declaratus; huic, quoniam iuvenis adhuc et re-

---

23) Claud. de III. cons. Honor. 68: gentesque remotas
Colligit aurorae, tumidus quascunque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halis, quas ditat Orontes,
Turiferos Arabs saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.

24) Iordanis de reb. g. Getarum cap. 28. E quibus imperator contra Eugenium tyrannum — — — plus quam XX millia armatorum fideles sibi et amicos intelligens secum duxit. Socrates V. 25 nihil dicit de foederatorum numero. Sozom. VII. 24 init. *συνείπετο δέ αὐτῷ καὶ πλῆθος συμμάχων, τῶν περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάρων.*

25) De Gaina Ariano vid. Socrates VI. 5, 6. Sozomen. VIII. 4.

26) Orosius VII. 37 quum barbaro et pagano duci, hoc est, Sauli etc.

27) Zosim.: *ἐκοινώνει δὲ τῆς ἀρχῆς αὐτοῖς καὶ Βακούριος, ἕλκων μὲν ἐξ Ἀρμενίας τὸ γένος, ἔξω δὲ πάσης κακοηθείας ἀνὴρ, μετὰ τοῦ καὶ τὰ πολεμικὰ πεπαιδεῦσθαι.* IV. 57.

28) Zosimus. V. 5. Socrates VII. 10.

rum civilium administrandarum plane imperitus erat, Rufinum tutorem praeposuerat, qui simul et aulae praefectus esset, et ex animi sui arbitratu in quasvis res alias dominatum haberet [29]).

De rebus in bello Eugeniano a Stilichone gestis scriptores nihil tradiderunt: nihilominus fortem et belli peritissimum ducem etiam in illo discrimine optime de Theodosio meritum esse ex eo colligendum est, quod Augustus, — non iam a Rufino contra virum nobilem fidumque incitatus — Vandalum non longe post Eugenium oppressum non solum utrique exercitui et a Timasio et ab Arbogaste ducto praeposuit [30]), sed etiam, ipse

---

29) Zosim. IV. 57. *ἐπεὶ δὲ νέος ἦν ἔτι* (Arcadius) *τὸ λεῖπον εἰς φρόνησιν αὐτῷ διὰ τὴν νεότητα θεραπεύων, ἀπέλιπεν αὐτόθι Ῥουφῖνον, ἅμα δὲ τῆς αὐλῆς ὕπαρχον ὄντα, καὶ ἐς πᾶν ὁτιοῦν ἕτερον τῆς ἑαυτοῦ κυριεύοντα γνώμης, πράττοντά τε ὅσα βασιλεῖ δίδωσιν ἡ τῆς ὑπεροχῆς ἐξουσιά.*

30) Zosim. IV. 59 init. *Τῶν δὲ πραγμάτων ὧνδε τῷ βασιλεῖ Θεοδοσίῳ προχωρησάντων, ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ, τὸν υἱὸν Ὀνώριον ἀναδείκνυσι βασιλέα Στελίχωνα στρατηγόν τε ἀποφήνας ἅμα τῶν αὐτόθι ταγμάτων, καὶ ἐπίτροπον καταλιπὼν τῷ παιδί.* — „*τῶν αὐτόθι ταγμάτων*·“ quod de Italiae vel provinciarum occidentalium copiis enuntiare mihi videtur; his igitur praepositum esse Stilichonem, qui orientalis exercitus iam antea dux factus fuisset. Nam paullo post V. 4, utriusque exercitus ducem eum appellat: *στρατηγὸς ὢν τοῦ παντὸς στρατεύματος ὁ Στελίχων.* (cf. Claud. de laud. Stilich. I. 160 ductor Stilicho tot gentibus unus, quod vel progrediens vel conspicit occiduus sol.)

Eugenium usurpatorem ex fuga retractum, coram Theodosio a militibus furore incensis trucidatum esse; totum deinde devicti tyranni exercitum et Gallos et Francos, quum Theodosium victorem Augustum consalutavissent, huius imperatoris veniam assecutos et inter copias a Timasio et Stilichone ductos receptos esse, notum ab omnibus habetur.

De Timasio non traditum est, num propter nimiam aetatem aut propter vitium in proelio commissum Stilichoni natu minori honoribus cederet; nec scimus utrum per breve temporis spatium in Italia commoratus an statim Constantinopolim redux

iam moribundus, Honorii filii, Byzantio una cum Serena, Stilichonis uxore, ut iam supra narravimus, Mediolanum acciti, tutorem, occidentalis imperii moderatorem designavit.

Quo factum est, ut deinde Theodosio mortuo, Stilicho, universis propemodum Romanorum copiis sibi subiectis, multo maiorem vim haberet quam Rufinus, illo tempore fere omnibus copiis destitutus [31]).

De Stilichone, qualis esset quibusque moribus, inter varios illius aetatis scriptores varium fuit, multi enim humiliter, multi mirabiliter de eo senserunt; inter quas diversas sententias Olympiodori iudicium gravissimum mihi videtur.

Nam primum viro summo, in Italia civilibus muneribus fungenti, Stilichonis et videndi et cognoscendi facultas sine dubio data est, ita ut Vandali naturam, indolem, rationem optime perspicere posset. Deinde quum idem rerum scriptor posterioribus temporibus, ipso Stilichone interfecto, in superiores etiam in republica honorum gradus promoveretur [32]), vix credendum est, eundem priore tempore in numero amicorum Vandali habitum esse.

Nihilominus scriptor de Stilichone haec profert [33]): „vir omnium, quotquot id temporis magna cum potestate fuerunt, modestissimus. Licet enim filiae fratris Theodosii maioris matrimonio iunctus esset, amborumque Theo-

---

factus sit; in hac vero urbe anno CCCXCVI versatus est, quo tempore in laqueos incidit, quos Eutropius eunuchus ei posuerat, Zosimus V. 9.

Theodosium post victoriam de Eugenio reportatam Romae non fuisse Tillemont demonstravit: l'emp. Théodose article LXXXIII.

31) De paucis copiis Rufino relictis: Zosim. V. 5. init.

32) De Olympiodoro v. Pauly. Real-Encyclopädie.

33) Olympiod. in libro Zosimi V. cap. 34.

dosii filiorum regna ei credita fuissent, et annos tres et viginti militum ducis munus gessisset, nunquam tamen animadversum est, eum militibus, interveniente pecunia, magistratus praefecisse, vel annonam militarem in lucrum suum vertisse.

Quumque pater filii dumtaxat unius esset, hanc ei dignitatis metam statuit, ut ad officium tribuni notariorum provecto nullam maiorem potestatem acquireret."

Hanc qua Olympiodorus Vandalum ab inimicis saevissimis trucidatum hostemque publicum legibus declaratum [34]) celebrat laudem gravissimi momenti habendam esse iam ex eo apparet, quod talem Stilichonis laudationem laudanti ne minimum quidem fructum parare, immo multum periculi inferre potuisse notissimum est.

Adde Claudianum, quem, ubi facta publica narrat, falsum testem non omnino habebimus; hic narrat, provincias proximorum principum et praefectorum imperio a barbaris deletas atque sine agrorum cultu per multos annos requietas, Stilichone gubernante, ab agricolis rursum consitas, fructus atque segetem edidisse; Illyricum vero provinciam eo melioris fortunae prolatam esse, ut ad annum CCCC tributum denuo penderet; quod iam dudum praestare non potuerat [35]).

---

34) Cod. Th. lib. VII. tit. 16. l. 1. „Hostis publicus Stilicho etc.

35) Claud. de laud. Stil. II. 191:

— — — — — hinc obsidione solutus
Pannonius, potorque Savi, quod clausa tot annis
Oppida laxatis ausus iam pandere portis
Rursum cote novat nigras rubigine falces, etc.
— — —

v. 199: — et opacum vitibus Istrum
Conserit, et patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. Te sospite fas est
Vexatum laceri corpus iuvenescere regni,
Sub tot principibus quaecunque amisimus olim

Quae Vandali in administranda republica diligentia atque sollertia eo pluris aestimanda est, quum Orientalis imperii conterminas provincias eodem tempore a barbaris iterum iterumque depopulantibus in miserrimum statum redactas respiciamus.

His igitur laudibus Vandalus et principibus praeterea deditissimus et rerum civilium bellicarumque peritissimus merito ornandus est; adde quod amicis fidelem se ac sincerum gessisse videtur, testibus Claudiano et Symmacho [36], quod hostibus audens neque ullum sui periculum timens occurrebat, si quidem eos hoc modo vel pacari vel inter amicos conciliari posse credebat. Tali ratione agendi Stilicho usus est, quum perpaucis tantum comitantibus, ad gentes barbarorum seditiosas atque bellum minitantes, his pacem tranquillitatemque redintegraturus profectus est [37]. Stilicho, iam dux probatus, spectato amore erga iuvenem principem suum ignavum excelluit, et de imperio sibi tradito curas omnibus aliis rebus anteponebat. Neque unquam in administranda civitate summam remittebat industriam atque virtutem, atque quasi ex inexhausto fonte semper aliquid novi ex suo animo hauriebat, quo rempublicam in periculis versantem servaret, servatam in meliorem fortunam proveheret. — At quidquid Claudianus laudator dicat [38] — quos sibi vel inimicos vel periculosos in aula noverat, inex-

---

Tu reddis. Solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix,
Inque suos tandem fines redeunte colono
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
cf. Claudian. de IV. cons. Honorii v. 485—500.

36) Claud. complurimis locis Symmachus epistolae ad Stilichonem lib. IV. — ep. 6: „nihil est ad integrandas fortunas hominum virtutibus tuis promptius.“

37) Claud. de IV. cons. Honor. 440—455. Claud. de bello Get. v. 323—429.

38) Claud. de laud. Stil. I. II.

piabili odio, astutissimis fallaciis artificiisque persecutus est. Maszeceli, qui post victoriam suam de Gildone fratre id egisse videtur, ut in palatio Vandali auctoritatem labefactaret, maximas spes fecit, eum vehementer colere simulavit; deinde vero Afrum omni modo deceptum, trucidari iussit, ridens, quod qui sibi aequare studeret, ita victus esset [39].

Pariter quoque perfidus et in novis semper machinationibus ingeniosus in iis apparet, quae contra Rufinum ceterosque orientalis imperii praefectos molitus est; nam id per omnem suam vitam in animo volvebat, ut orientale quoque regnum praefecto nomine moderandum adipisceretur [40]. Quo consilio nihil omisit inexpertum; qui quum omnino dolum atque astutissimas fallacias in Orientis imperii praefec-

---

39) Zosim. V. 11. cf. Oros. VII. 36.

40) Multi exstant loci scriptorum, e quibus certe colligi potest, haec Stilichonem molitum esse. Claud. in Ruf. II. 4:

— — — — — Tibi credita fratrum
Utraque maiestas, geminaeque exercitus aulae.

de III. cons. Honor. 151. Theodosius moribundus Stilichonem ita allocutus est:

Ergo age, me quoniam coelestis regia poscit,
Tu curis succede meis, tu pignora solus
Nostra fove, geminos dextra tu protege fratres.

de bello Gildonico, v. 2—3. v. 318—324. in Eutropium II. v. 501—509. v. 516. 517. ibid. v. 535. 536. 545. 546. ibid. v. 600—602. de laud. Stil. I. v. 140—141. de laud. Stil. II. 78: — — Fratrem levior nec cura tuetur

Arcadium: nec, si quid iners atque impia turba
Praetendens proprio nomen regale furori
Audeat, adscribis iuveni.

Zosim. quo Eunapium sequitur. V. 4: *ἔλεγε γὰρ, ἐπιτετράφθαι παρὰ Θεοδοσίου τελευτᾷν μέλλοντος, τὰ κατ᾽ ἄμφω τοὺς βασιλέας ἔχειν ἐν πάσῃ φροντίδι.*

Zosim. quo Olympiodorum exscribit. V. 34. *καὶ ἀμφοῖν αὐτοῦ τοῖν παίδοιν τὰς βασιλείας ἐπιτραπείς.* cf. Sozomenus IX. 4.

tos intenderet, ne ab interitu quidem iis parando abhorruit.

Quin etiam saevissimo Romani nominis inimico Alaricho, Macedoniam, Illyricum, Graeciam, Italiam depopulato, deinde in manum suam dato pepercit, immo eundem, quo Arcadii praefectis terrorem et damnum inferret, amicum et ducem occidentalis imperii fecit. Quum vero his omnibus propositum suum assequi non posset, quas plurimas saltem provincias orientalis imperii praefectis per eundem Alarichum eripere, ereptas sub ipsius ditionem atque administrationem subiungere studuit.

De illis Stilichonis gravissimi momenti consiliis atque cogitationibus, quas per omnem vitam praefectus tenebat, Tillemont quidem perpauca, unum Zosimum testem producens, affert[41]. Gibbon[42] quoque, quamquam aliqua ex parte copiosius de his rebus disserit, nihilominus summae illi quaestioni omnino non abunde satisfecit; quo fit, ut nonnullis rebus obscuris non omnino ab eo explanatis, nos satis introspicere non possimus neque inimicitias quas Stilicho et Rufinus Eutropiusque inter se gesserunt, neque omnium fere inde a morte Theodosii ad Vandali necem usque gestorum bellorum causam atque exitum.

Quodsi vero et vim, audaciam, tenacitatem, qua Stilicho orientale regnum sibi asciscendum moliebatur, et odium orientalis imperii praefectorum vehementissimum, quod illis rebus appetendis in se converterat, consideraveris, — quae rationum illa aetate et inter duas Romani regni partes et inter praefectos Romanos ducesque barbarorum intercedentium, quae bellorum atque pactorum foederumque mirorum vera causa fuerit, facile apparet.

---

41) Tillemont hist. des emper. d'Honoré article II. pag. 487.

42) Gibbon cap. 29.

Ego quidem non dubito, quin hac ratione fere omnes illius aetatis res obscurae miraeque explicandae sint: ubi Eutropii, qui non solum in Rufino impugnando Stilichonem adiuverat, sed etiam Gallum trucidandum curaverat, summum in Stilichonem odium Rufino mortuo conceptum, bellumque Gildonicum; ubi Macedoniam, Illyricum occidentale, Thessaliam, Achaiam neque Rufino neque Eutropio prohibente ab Alaricho vastatas provincias, Epirumque eidem Gothorum duci ab Eutropio commissum; ubi Alarichum, et in Thessalia et in Arcadia manibus Stilichonis miro modo ereptum, deinde Illyricum occidentale Gothorum duci ab ipso Stilichone commissum commemoramus.

Quibus consideratis, illud profecto non negandum erit, plurimorum malorum, quibus illa aetate imperii Romani provinciae laboraverint, esse summis Romanorum magistratibus attribuendam culpam. Inter quos idem Stilicho, quem summa industria salutem civium curavisse constat, infausto regni Orientalis sibi asciscendi studio non solum perniciosas inter Constantinopolitanos atque Romanus magistratus inimicitias constituit, sed etiam illam rerum publicarum conditionem comparavit, qua summis calamitatibus Romanos affligendi facultas barbaris data est.

Quo factum est, ut idem Vandalus clarissimus, quem non sine iure Claudianus poeta canit, solam fuisse periculi turrim, atque paene ruenti lapsuroque orbi suos humeros obiecisse, eodem tempore multum periculi imperio Romano, magnumque detrimentum intulerit.

Nobis vero iam propositum est, hoc loco imprimis de inimicitia, quae inter Stilichonem et Rufinum, Theodosio mortuo, intercedebat, atque de commodo, quod ex eadem Alarichus percepit, copiosius disserere.

Caput III.

De inimicitiis inter Stilichonem et Rufinum praefectos.

Theodosio Magno Mediolani die XVII mensis Ianuarii anno CCCXCV [1]) mortuo, Stilicho recenti negotio pronuntiavit, Augustum adhuc vivum, gravissimo quidem morbo conflictatum, cunctos discedere iussisse, atque priore consilio mutato, ipsum Stilichonem et utriusque filii tutorem et utriusque imperii praefectum constituisse [2]). Quod Vandalum finxisse atque mentitum esse liquet. Theodosius enim, siquidem antea constituta tali modo mutari voluisset, id sine ullo dubio disertis et planis verbis vel testamento cavisset, vel aliis praeceptis statuisset, vel

---

1) Socrates V. 26.

2) Claud. de III. cons. Honor. v. 142 sqq.

Ut ventum ad sedes; cunctos discedere tectis
Dux iubet, et generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilicho, cuius mihi robur in armis,
Pace probata fides, quid enim per proelia gessi
Te sine? Quem merui te non sudante triumphum?
Odrysium pariter Getico foedavimus Hebrum
Sanguine etc.

v. 151:

Ergo age, me quoniam coelestis regia poscit,
Tu curis succede meis, tu pignora solus
Nostra fove, geminos dextra tu protege fratres,
Per consanguineos thalamos, noctemque beatam,
Per taedas, quas ipsa tuo Regina laevavit
Coniugio, sociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem, crescentes dilige fetus
Ut ducis, ut soceri. Iam iam securus ad astra
Te custode ferar.

coram omnibus declarasset. Talia vero principem non fecisse, non dubium est, Claudiano tacente.

Stilicho autem Sanctum Ambrosium Mediolanensem episcopum, nescio quo pacto movit, ut in suo de obito Theodosii sermone Mediolani habito coram populo militibusque, praesentibus Honorio ac Stilichone, nonnulla de tutela utriusque filii a Divo Augusto tradita Vandalo diceret [3]). Eodem tempore Stilicho palam declaravit, sese ad Arcadium Constantinopolim profecturum, huiusque res dispositurum esse; nam a Theodosio moribundo sibi datum esse in mandatis, ut omni cura principem utrumque complecteretur [4]).

Haec omnia Constantinopolim ad Rufini aures celeriter perlata sunt; qui quavis arte moliri coepit, ut profectionem Vandali in Orientem averteret [5]).

Iam vero Stilicho in occidentali regno morari nonnullis rebus coactus est; primum enim exercitus seditiosus factus est, iis militibus, qui cum Arbogaste fuerant, cum iis quos Theodosius ex Oriente secum duxerat, discordantibus; „alterna iurgia victores et victi dabant“ [6]); nam odium mutuum proelio apud Frigidum flumen commisso inflammatum, adhuc non satis refrigera-

---

3) Ambr. oratio in funere Theodosii: „De filiis enim nil habebat novum quod conderet, quibus totum dederat, nisi ut eos praesenti commendaret parenti.“ Sanctus episcopus hanc suspectam rem non nisi levissime tetigisse mihi videtur.

4) Zosim. V. 4: *ἔχων δε πρὸς Ῥουφῖνον ἐγκότως, οἷα δύναμιν αὐτῷ ἀντίῤῥοπον κατὰ τὴν ἑῴαν ἔχειν βουλόμενον, ὡς Ἀρκάδιον ἰέναι διενοεῖτο, διαθεῖναι κατ᾽ ἐξουσίαν καὶ τὰ κατ᾽ ἐκεῖνον ἐθέλων. ἔλεγε γὰρ, ἐπιτετράφθαι παρὰ Θεοδοσίου τελευτᾷν μέλλοντος, τὰ κατ᾽ ἄμφω τοὺς βασιλέας ἔχειν ἐν πάσῃ φροντίδι.*

5) Zosim. V. 5. *τούτων ὁ Ῥουφῖνος αἰθόμενος, ἐκ πάσης ἐβουλεύετο μηχανῆς ἐκποδὼν γενέσθαι τὴν Στελίχωνος ἐπὶ τὴν ἑῴαν ὁρμὴν, . . , . .* Rufinum eo maxime tempore Caesaris dignitatem assequendam molitum esse, supra demonstravimus.

6) Claud. de bello Gild. 295.

tum erat; neque multum aberat quin qui Theodosii vivi autoritate vix retenti essent, mortuo imperatore armis inter se pugnarent [7]; St. Ambrosio eos ut pacem servarent frustra hortato [8].

Stilicho quomodo tumultum sedaverit, non traditum est; constat autem, Vandalum militum animos vincendi sibique conciliandi ei insitam vim exercentem, reductis militibus ad obsequium, disciplinam restituisse. Iam factum est, ut Stilichonem ducem unice diligens, neque victus oderit, neque victor superbierit [9].

Hoc sine dubio Theodosius Magnus statuerat, ut ipso vivo sane uterque exercitus sub imperio Stilichonis esset, post ipsius autem mortem copiae orientales Constantinopolim ablegarentur. Vandalus autem quum iam utriusque imperii praefectum ipsum a moribundo principe designatum esse praetenderet, utrumque exercitum in Italia sibi retinuit; immo ex utriusque exercitus imperio a Theodosio sibi commisso, certe demonstravit, utriusque etiam imperii sibi traditam esse praefecturam. Quamvis vero universi exercitus Romani ducem sese gereret, nihilominus orientalium copiarum quandam partem Constantinopolim redire iussit, sive ne maiore militum multitudine nimium diu in unum congesta aut Italia magis magisque exhauriretur, aut disciplina vix redintegrata denuo turbaretur, sive ut Arcadio Augusto quodammodo satisfaceret, (quem sibi benevolum cupiebat et ad facilius adipiscendam, et ad semper tenendam orientalis imperii praefecturam,) — sive nescio qua ex alia

---

7) ibid. v. 292: . . . cum Divus abirem
Res incompositas, fateor, tumidasque reliqui,
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odiis.
v. 296: . . Vix haec dementia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.

8) St. Ambrosius in oratione in funere Theod.

9) Claud. in Ruf. II. 116; de laud. Stil. I. 151. 52.

causa: nam sibi retinuit, quasi ludens vel Rufinum vel ipsum Arcadium, robustissimos quosque ac bellicosissimos militum; omnino exhaustos et reiiculos in Orientem ablegans [10].

Hos milites veterem illum Timasium ducem Constantinopolim reduxisse haud incredibile est; quarum vero copiarum sine dubio Alarichus Gothus aliquas cohortes foederatas habuit, quem duobus fere mensibus post Theodosii mortem in Thracia fuisse scimus. De hoc Gothorum duce omnino haec putanda mihi videntur: aut invito atque nescio Stilichone ex Italia eum discessisse, de Gothorum foederatorum in Thracia collocatorum indignatione contra Rufinum mota fortasse certiorem factum, aut ipsius Vandali iussu in Orientem rediisse. Ego quidem, quod secundo loco posui in Alarichum quadrare putaverim; nam quum in Orientem Gothus venisset, moleste ferens militum Romanorum copiis haud praefici, sed eos dumtaxat habere barbaros quos Theodosius ei tradiderat, (quo tempore cum illo Eugenii tyrannidem everterat) a Rufino flagitavit, ut non iam barbarorum turmis, sed Romanis militibus praeponeretur, ita superiore in imperio militari ordine ornaretur [11]. Quo

---

10) Zosim. V. 4: τελευτήσαντος γὰρ μετὰ τὴν Εὐγενίου καθαίρεσιν ἐν Ἰταλίᾳ Θεοδοσίου, στρατηγὸς ὢν τοῦ παντὸς στρατεύματος ὁ Στελίχων, εἴ τι δυνατὸν αὐτοῦ καὶ πολεμικώτατον ἦν, τοῦτο κατέσχε· τὸ δὲ ἀπεσκληκὸς καὶ ἀπόβλητον, χωρεῖν ἐπὶ τὴν ἑῴαν ἠφίει.

11) Zosim. V. 5: ἠγανάκτει γάρ, (ὁ Ἀλάριχος) ὅτι μὴ στρατιωτικῶν ἡγεῖτο δυνάμεων, ἀλλὰ μόνους εἶχε τοὺς βαρβάρους, οὓς Θεοδόσιος ἔτυχεν αὐτῷ παραδούς, ὅτε σὺν αὐτῷ τὴν Εὐγενίου τυραννίδα καθεῖλε. — στρατιωτικοί illo tempore ii milites exercituum Romanorum vocati sunt, qui ex ipsis regni provinciis, parentibus Romanis, oriundi, a barbaris copiis distinguerentur. vid. Reitemeier nota d. in idem caput. Quibus rebus Alarichus maiorem duxit honorem, Romanis militibus praeesse quam suae ipsius gentis copiis. Crediderim, ab iis qui de hac aetate scripserunt viris doctis, hanc Alarichi rationem sententiamque non satis respectam esse.

apparet, Alarichum se legibus Romanis adhuc non exemisse, sed ordinem in exercitu duxisse; adde quod, quum Gothis in proelio apud Frigidum commisso summa inter omnes Theodosii milites clades inlata esset [12]), sine dubio inter exhaustos et reiiculos Gothi praecipue numerandi erant [13]).

His rebus compositis, iter in foederatorum Germanorum praeter Rhenum iacentes terras, Alemanicas et Francas Stilichoni faciendum erat. Qui quum paucis tantum comitantibus stipatus ad seditionum molientes audax accederet, et devicti Arbogastis memoria et splendore suo atque autoritate summam barbarorum admi-

12) vid. supra.

13) Tillemont hist. des. emp. (Honoré article II.) pag. 487 vult, Stilichonem hos reiiculos milites, mandatis Arcadii de remittendo exercitu orientali in Thessalia acceptis, Constantinopolim ablegasse, reliquas vero copias eiusdem exercitus sibi praefectum retinuisse. Postquam Vandalum in Thessaliam venisse, mandata Arcadii ibi recepisse percontatus est, ita pergit: „Il n'osa desobeïr, mais retenant pour lui, dit Zosime, les meilleurs troupes, il ne renvoya à Arcade que les plus faibles sous la conduite de Gaiuas.“ — Hoc loco vir sagacissimus erravisse mihi videtur. Zosimus enim in capite septimo demum libri quinti copias iussu Arcadii a Stilichone Constantinopolim e Thessalia remissas commemorat; in capite vero eiusdem libri quarto, priusquam Vandalum cum utroque exercitu in Orientem profectum esse narravit, iam exhibuit, Stilichonem reiiculos illos et exhaustos Constantinopolim ablegasse. Ita ut bis de copiis a Stilichone in Orientem remissis Zosimus mentionem faciat: primum de iis quas, Theodosio mortuo, sua sponte, ex Italia, deinde de iis quas Arcadii mandatis indulgens, e Thessalia Vandalus remiserit; illas incerto duce, has Gaina duce.

Gibbon primam illam copiarum ablegationem omnino non commemorat; nihilominus non sine quodam momento eadem esse mihi videtur; quoniam, ut supra conieci, non sine veritatis specie est, Alarichum Gothum cum his militibus Constantinopolim intrasse; nam nescio quo alio modo enodetur, quo factum sit, ut celeberrimus Gothus statim fere e Theodosii morte Byzantii versaretur, quum antea in Stilichonis exercitu copias duxisset.

rationem habuit [14]); ita ut „alloquiis“ efficeret, ut „pax profecta a fonte cum Rheni cresceres aquis.“

Atque verisimile est ut foedera Stilicho renovaverit, quae Arbogastes Eugeniusque in Italiam profecturi cum Francis et Alemannis icerant [15]).

Huiusmodi igitur reipublicae rebus internis et externis compositis, Constantinopolim tandem proficisci constituit Stilicho, ut, Rufino oppresso, orientalis quoque imperii res suo arbitrio disponeret.

Crediderim fere, primum quidem Stilichonem maiorem exercitum secum ducere noluisse, ut arte magis atque fraudibus quam armis subnixus, bello contra Rufinum maiorem pacis speciem imponeret. Sed de iis certior factus, quae in Oriente acciderant, utrumque et occidentalem et orientalem exercitum secum ducere statuit. Nam Gothi, Alaricho duce creato, seditiosi facti, Constantinopolim obsederunt [16]), Thraciam vastaverunt; deinde omnes fere provincias orientalis imperii depopulati,

14) Claud. de IV. cons. Honor. v. 433 sqq.
Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare iubes. Volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus stipante caterva
Aspera nubiferas qua Rhetia porrigit Alpes,
Pergit, et hostiles, tanta est fiducia, ripas
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos humili Reges cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sycambri
Caesariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo. Iuratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.

15) Sulpitius Alexander in capite nono libri II. Gregorii Turonensis: Dehinc Eugenius tyrannus, suscepto expeditionali procinctu, Rheni limitem petit, ut cum Alamannorum et Francorum Regibus vetustis foederibus ex more initis, immensum ea tempestate exercitum gentibus feris ostentaret.

16) Claud. in Ruf. II. 54—61.

quae Illyrica praefectura antea continebantur, iam Dalmatiae Pannoniaeque finibus magis magisque appropinquaverunt; demum vero etiam Illyricum occidentale populabundi invaserunt [17]).

Illius aetatis et nostri temporis scriptorum plurimi vel potius dicam omnes volunt, Rufinum novarum rerum studiosum et Hunnos accivisse ut universam Asiam pervagarentur, et Gothos incitasse ut seditionem moverent atque universam Europam, quoad Arcadii imperio subiecta esset, delerent.

Quod iam primo audienti mirum, tum vero acrius consideranti, perpensis causis, quibus commotus Rufinus talia perpetrasse dicitur, fere incredibile videtur esse.

Quae res, quomodo sese habeat, diligentius nobis inquirendum est.

Primum quidem mirum est, quod omnes fere viri, qui illo tempore reipublicae praeerant in huiusmodi suspicionem vocati sunt. Illius vero aetatis homines qui incredibilia facinora aut ab aliis commissa viderant, ipsique commiserant, aut a superioribus perpetrata in memoria tenerunt, eo adducti erant, ut ullum virum rebus publicis deditum ab ullo facinore abhorrere vix crederent. Accedit quod universi populi calamitates, una ab omnibus semper commeritae, in unius culpa vel proditione ponere homines omni tempore solent.

Quo, — ut exemplo ex illa ipsa aetate hausto utar, — factum est, ut Valens imperator, — Gothis Hunnorum impetu oppressis, inter Romanos iam dudum imbelles ignavosque pro fortioribus militibus ipsius prin-

17) ibid. v. 36: Geticis Europa catervis
Ludibrio praedaeque datur, frondentis adusque
Dalmatiae fines: — omnis qua mobile Ponti
Aequor, et Hadriacas tellus interiacet undas.
v. 45: Iam plaga Pannoniae etc.

cipis iussu acceptis [18]); deinde Romanorum magistratuum nequitia armis non privatis [19]), romanorum magistratuum graecorumque avaritia extremam famem perpessis et ad desperationem usque adductis, tandem seditiosis factis Thessaliamque depopulatis: — ut Valens inquam ab omnibus civibus incusaretur, eum Gothos contra subditos, ad delendam Constantinopolim atque rempublicam, accivisse [20]).

Adde notissimum illud, quod, Stilichonem Vandalos, Alanos et Suevos in Galliam, Alarichum cum Gothis in Italiam accivisse permulti tradiderunt; neque ab eo ineptiae abhorruerunt nonnulli, qui ipsum Honorium et innocentissimum et hebetissimum haberent suspectum evocavisse Gothos quum in eum subditi rebellassent [21]).

Quae res profecto respiciendae sint, quum iam ad crimina supra commemorata, quae et illius et posterioris aetatis scriptores in Rufinum contulerunt consideranda progrediamur.

De vita Galli, qualis fuerit et qua indole supra fusius disseruimus. Demonstravimus igitur, Gallum turpissimum quidem a nullo sane scelere abhorruisse quum de ipsius aut commodo lucrove, aut inexpiabili in aemulos odio res ageretur; neque vero negandum sit, eundem virum summae sagacitatis atque astutiae in suis rebus curandis fuisse. Iam quidem nullo modo mirandum est, quod populus Romanus, Graecia misera ab Alaricho facillime expugnata et saevissime vastata, invisum prae-

18) Ammianus Marcellinus XXXI. 4. Eunapius corp. Byzant. t. I. pag. 48.

19) Eunapius ibid.

20) Socrates IV. 38. Sozomen. VI. 39.

21) Procop de bello Vandalico I. 2. *εἰσὶ δὲ οἳ καὶ φασιν αὐτὸν τοὺς βαρβάρους ἐπαγάγεσθαι, στάσεως αὐτῷ πρὸς τῶν ὑπηκόων γεγενημένης.*

fectum quovis scelere contaminatum, turpissimae proditionis atque parricidii patriae non solum insimulare sed etiam condemnare non dubitavit. Nobis autem quaerendum est, num facinora in quorum insimulationem Gallus vocatur, cum viri licet nequissimi prudentia, consiliis, atque qua tum usus est conditione statuque omnino congruant.

Rufinum vult Aschbach [22]), Gothos rebellantes haud aegre tulisse, qui bello contra Alarichum gerendo maiorem autoritatem sese adipisci posse speraverit; sed nullo tempore ii autoritate valuerunt neque maiorem vim assecuti sunt, qui auxilium ferendi facultate non instructi erant.

Iam vero Rufinus copias non habuit, quibus aut Hunnos Asia vastanda aut Gothos Thracia delenda, oppugnanda Constantinopoli, arcere potuerit.

Deinde Tillemont [23]), Gibbon [24]) atque Simonis [25]) coniicere mihi videntur, Rufinum Gothos ad seditionem movendam incitasse, ut hoc modo et se ipsum muniret contra Eutropii eunuchi (qui praepositus erat sacri cubiculi) machinationes insidiasque, cui Arcadius imperator magis magisque indulgere coeperat, et poenas repeteret ab imperatore eunuchoque iniuriarum quas ab iisdem accepisset. Eutropius enim, Rufino Antiochiam

---

22) Aschbach, Geschichte der Westgothen, Kapitel 2, Seite 65: „dass der Minister in Constantinopel, Rufinus, die gefährlichen Bewegungen der Gothen gern gesehen und unterstützt habe, um sich im Kriege desto wichtiger zu machen, oder vielleicht um diese für seine ehrgeizigen Pläne zu gewinnen, ist nicht unwahrscheinlich“: et addit vir doctissimus: „obwohl er den Argwohn, welchen er durch seine öfteren Besuche im feindlichen Lager, wie auch durch seine Nachahmung der gothischen Tracht und Sitten erregte, zu verscheuchen wusste“ etc.

23) Tillemont. l'emp. Arcade article IV. p. 425.

24) Gibbon cap. 29.

25) Simonis p. 13.

profecto, principi persuaserat, ut, Galli filia repudiata, subito Eudoxiam, Bautonis Franci filiam, in Promoti illius, Rufini fraudibus perditi, aedibus educatam in matrimonium duceret. Rufinus vero Constantinopolim redux factus, quum sese Eutropii opera non solum in ora hominum pro ludibrio abiisse, sed etiam summa spe Caesaris dignitatis sibi conciliandae privatum esse cognosset, omni modo id egit, ut Eutropium e medio tolleret [26]).

Sed nullo modo credendum est, Rufinum opinatum esse, seditione barbarorum movenda sese Eutropio inviso nocere posse. Nam Eutropium eo quod regnum Rufino commissum barbaris delendum permitteretur, ullo modo affici potuisse non apparet: immo Rufinus perpetrato eiusmodi facinore ansam dedisset Eutropio ad carpendum praefectum ut hominem, qui aut curando aut defendendo regno omnino non esset aptus, aut muneri summo turpissima fungeretur negligentia; adde quod eunuchus in incitando principe contra praefectum talibus incriminationibus Eudoxiam, Arcadii uxorem, sociam habuit. Praeterea avaritiam Galli respicias; qui, siquidem id egisset, ut, Asia Hunnis, Europa Gothis ad vastandum proditis, ab Arcadio imperatore poenas repeteret — nihil sane effecisset, nisi qui ipse tributa divitiasque provinciarum, quibus — imperatore decepto — suam rem familiarem exaggerare solebat, barbaris quasi dono dedisset.

Iidem vero Tillemont et Gibbon [27]), rerum gestarum gravissimi pronuntiatores, volunt (auctoribus Clau-

---

26) Fraudem Eutropii, qua Arcadius ad Eudoxiam in matrimonium ducendam commotus est, atque omnino notissimas illas nuptias Zosimus V. 3 accuratius describit.

27) Tillemont, l'emp. Arcade, article III. pag. 423. Gibbon cap. 29.

diano, Eunapio, Socrate, Sozomeno, Orosio [28]), Rufinum barbaros ad bellum movendum regnumque vastandum incitasse, quum, Arcadio insidias struens, ipse regnum, oppresso Theodosii filio, conturbato reipublicae statu, sub Augusto nomine occupare vellet.

Qui hoc statuunt, haec fere cogitare mihi videntur. Rufinum id egisse, ut aut Gothis ipsis in Augusti imperio occupando uteretur, aut, ingenti omnium rerum per barbaros commota perturbatione, occasio ipsi daretur Arcadii opprimendi, sceptrum sibi conciliandi. Non dubitabis vero, quin Gallo, si quidem Gothis uti voluerit, eorum animis ipsi conciliandis opus esset. Neque vero eo quod Gothis consueta dona subtraxit [29]) Alarichumque eodem tempore offendit apud suos iam dudum inclytum, acceptum barbaris sese reddidit. Deinde neque Gothorum erat ut cum sibi principem crearent qui pecuniam non daret, neque Alarichi, eundem in appetendis summis honoribus adiuvare, qui ipsi maiores militiae honores negaverat. Praeterea Alarichus Constantinopolim Arcadiumque principem oppugnavit, qui illo tempore una cum Rufino in urbe moratus est; quodsi vero Gallus quandam habuit cum Gothis collusionem, mirum est, quod occasione data, portas urbis non aperuit, ut Gothi ingressi praefectum Augustum declararent. Rufinum enim quidquid ageret celeriter agere solitum esse, inter omnes constat.

Sed, ut iam supra diximus, putaverint fortasse illi scriptores, Rufinum id egisse, ut — omnibus Gothorum seditione mixtis et turbatis, — eo facilius Arcadium stolidum, summo periculo sane attonitum, imperio privaret, utque Romanorum servator et restitutor regni, populo acclamante et consalutante, ipse summa rerum potere-

28) Claud. in Ruf. I. v. 306. Eunap. in Suidae excerpt. lit. *P*. Socrat. VI. 1. Sozom. VIII. 1. Oros. VII. 37.

29) Iord. de reb. Get. c. 29.

tur. Haec autem vana. Nam Rufinum virum callidum non fugit, sese quum innumeris facinoribus, quorum memoria nulla re a praefecto bene gesta expulsa erat, in summum universi populi odium venisse, tum, ut virum a re militari plane alienum, nullo modo bellis gerendis aptum esse. Quum iam, fore ut in appetendo imperio a populo Romano adiuvaretur, sperare non posset, nihilominus fraudibus insidiisque in ipso palatio Theodosii Magni filium sceptro spoliare potuit. Sit. Num vero sagacissimum virum fugerit, sese tali facinore in summum periculum incidere, immo ad interitum ruere? Satis iam novit Stilichonem et sibi inimicissimum et Theodosio filiisque magni principis deditissimum; quem quum sic quoque de utriusque imperii praefectura impetranda Constantinopolim profecturum sciret, tum post oppressum Arcadium et eo citius et maioris iuris specie subnixum per exstincti imperatoris ulciscendi causam Orientem ingredi minime potuit dubitare. Satis insuper scivit Rufinus, orientalium etiam copiarum robur Stilichoni subditum esse; satis cognoverat, ipsum nullis fere militibus munitum esse, quibus Vandalum Constantinopoli arcere posset, atque etiam Alarichum Gothum, qui tum in Orientem redierat, — licet barbarus Rufino conciliatus esset, — ingentibus Vandali copiis resistere non posse. Quae quum ita essent, callidissimum praefectum illo tempore summam rerum appetendam in animo habuisse, omnino non crediderim.

Puto autem, Eutropium Stilichonemque rumorem de tyrannide a Rufino affectata sparsisse, caedem Galli, cuius ipsi auctores erant, iustissimae poenae nomine coloraturos. Ita Honorius quoque et Olympius, Stilichone ipso eorum opera perdito, in vulgus ediderunt, summum ducem, quum regnum appeteret, Vandalos, Alanos, Suevos in Galliam, Alarichum in Italiam accivisse. Credideris fere, Stilichonis interfectores in Vandali fama de

honestanda artem, qua ipse Stilicho trucidato Gallo maledixerit, imitatos esse.

Caeteroquin Claudianus primum sane canit, Rufinum Arcadio insidias struxisse, deinde autem haec tantum profert: consortem in regno ab imperatore creari praefectum cogitasse [30]).

Talia Rufinum molitum esse, non habemus cur refutemus: immo duorum scriptorum, Claudiani atque Zosimi [31]), quorum alterum ex alterius libris hausisse quid, nemo dixerit, testimoniis affirmatur, Caesaris dignitatem appetivisse Rufinum.

Non sine iure credideris, Gallum speravisse, fore ut, hac dignitate impetrata, optime ab impetu Vandali defenderetur; Caesaris enim nominis honore si princeps praefectum ornasset, se ipsum Gallo amicissimum a consiliis Vandali probandis longe alienum esse manifestavisset; neque Stilicho, ut homo prudens et ab intestinis bellis abhorrens, etiam tum inimicum Gallum impugnavisset.

Neque vero concedendum est, Gallum huius honoris impetrandi causa Gothos ad seditionem movendam concitasse [32]).

Credas fortasse, Rufinum magna calamitatum turba commovenda principem cogere voluisse, qui angoribus agitatus, summum praefectum consortem imperii sibi crea-

30) Claud. in Ruf. II. 314:
Quod nolit, Rex ipse velit, iubeatque coactus
In partem mihi regna dari.
cf. ibid. v. 380—383.

31) Zosim. V. 3. Claud. in Ruf. II. 381 sq. II. 314.

32) Alienum est a proposito nostro, hic de Hunnorum in Asiam invasione copiosius disserere. Omnino vero iisdem argumentis, quibus Gothos non a Rufino ad seditionem incitatos esse demonstravimus, ad Rufinum etiam a crimine Hunnorum in Asiam accitorum — ei a scriptoribus allato — defendendum utamur.

ret, dummodo recens Caesar sese adversus imminens periculum quam celerrime remedia adhibiturum polliceretur. Sed haec quoque vana. Arcadius enim, licet summa esset imbecillitate, id tamen, Eutropio callidissimo insuper magis magisque consulto, intelligebat, et eadem esse in omnibus rebus praestanda Rufino praefecto ac Rufino Caesari, et superioris dignitatis nomine maiora auxilia comparare eundem nequire. Nam Rufinus, quum neque belli peritia, neque hominum conciliandorum arte excelleret: neque remedia habuit, neque certam spem auxiliorum afferendorum praebere potuit; Gallo tum perpaucas tantum legiones subditas fuisse iam supra vidimus.

Neque vero ad firmandam sententiam modo refutatam ea afferri possunt quae in Claudiani et Philostorgii libris [33]) leguntur; qui quidem dicunt, Rufinum sperasse, fore ut ab exercitu orientali — a Stilichone iussu Arcadii e Thessalia Byzantium remisso — suo aspectu (ut erat vir pulcherrimus) suisque donis capto atque conciliato Caesar consalutaretur.

Ubi eius maxima ratio habenda est, quod Gallus — teste Claudiano [34]) — non prius in spem huius venit, quam certior factus est, exercitum illum orientalem, a Stilichone praeter omnem fere Arcadii atque ipsius Rufini exspectationem ablegatum, Constantinopolim appropinquare. Praeterea memineris quaeso, Stilichonem sua sponte contra Gothos seditiosos progressum, in Thessalia versatum, ab Arcadio iussum esse, et a bello in orientalis imperii provinciis contra barbaros gesto recedere, et copias orientales, quibus etiam tum imperavit, tandem remittere.

Quodsi omnia eo usque explicata respexerimus, ridiculum fere videatur, si quis putaverit, Rufinum Go-

33) Claud. in Ruf. II. v. 293—315. Philostorg. XI. 3.

34) Claud. ibid.

this ad seditionem movendis in impetranda Caesaris dignitate uti voluisse. Num fortasse crediderimus, callidum praefectum haec peragenda sibi constituisse: primum et Gothos ad seditionem movendam concitare et Hunnos ad Asiam vastandam accire, atque hoc facinore perpetrando universas fere provincias quas sub Caesaris nomine gubernaturus, nec non, ut vir avarissimus, ipse exhausturus erat, praedae barbaris dare; deinde inimicissimum adire Stilichonem, qui et barbaros impugnaret et in medio bello dimidium exercitum adversario permitteret; tum, siquidem Stilicho copias illas misisset, militum animos sibi conciliare ut Caesarem praefectum consalutarent; denique his copiis adiutus Gothos pacare, Hunnos repellere!!??

Neque vero rationem omittas, quam inter Rufinum et Stilichonem intercessisse supra demonstravimus. Memineris quaeso et iniuriarum, quibus Gallus Vandalum affecerat, et eorum quae tum Stilicho contra Gallum moliebatur. Constat vero, Rufinum et omnino de his Vandali consiliis, et de itinere Constantinopolim faciendo, cui tum Stilicho se praeparavit, certiorem factum esse. Quae quum ita essent, nullo modo Rufinus speraverit fore ut a Vandalo copiis ablegatis adiuvaretur, quibus barbarorum seditionem — vel ipso invito, vel ipsius fraudibus concitatam — exstingueret; immo Rufino timendum erat, ne Stilicho, occasione bona atque commoda usus, quam celerrime cum summo exercitu accelerarel, qui barbaris devincendis, provinciis liberandis, summam Arcadii gratiam sibi colligeret, atque adeo, Rufini inertia manifestata, a principe iuveni praefectura Orientis quasi praemio suae virtutis ornaretur.

Neque Gallus erraverit; scimus enim, Stilichonem, quum Gothi Thraciam Macedoniamque depopulati iam occidentalis imperii fines transirent, cum utroque exercitu contra Alarichum profectum, barbarum ducem ad Thessaliam usque insecutum esse. Tum vero Rufinus,

qui imperii salutis immemor, non nisi ipsius commodum curaret, Arcadium commovit, qui Vandalo obsisteret. Missi sunt Constantinopoli in Thessaliam, qui Stilichoni imperarent, ut et ipse a bello in orientalis regni provinciis contra Gothos gerendo desisteret atque in Italiam rediret, et orientales copias Byzantium ablegaret[35]).

Alia quoque, quae pro Rufini proditionis argumentis afferuntur, mihi contraria docere videntur.

Rufinus nempe, quum Gothi seditiosi Constantinopolim obsiderent, ex Urbe in barbarorum castra saepius ivisse dicitur[36]); quod quum clam praefectum fecisse, ne Claudianus quidem dicat, tum palam factum esse liquet: proditorum autem rationem occultam atque secretam esse, quis est qui neget. Immo quum in Gothorum castris Rufinus versaretur, nihil nisi pacem vel meliores conditiones ab Alaricho ceterisque barbarorum ducibus impetrare studuit.

Rufinus geticas vestes sibi induebat[37]); quod vero

---

35) Claud. in Ruf. II. v. 161. Eoa remittat
Agmina; fraternas ex aequo dividat hastas;
Nec sceptri tantum fueris, sed militis, heres.

36) Claud. in Ruf. II. 73.
Iactabatque ultro, quod soli castra paterent,
Sermonumque foret vicibus permissa potestas,
Egregii quoties exisset foederis auctor.
Stipatur sociis, circumque armata clientum
Agmina privatis ibant famulantia signis.
cf. Tillemont l'emp. Arcade article IV. pag. 426. Aschbach, Gesch. d. West-Gothen Kap. 2. p. 65.

37) Claud. ibid. v. 78.
Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectore pelles,
Frenaque, et immanes pharetras, arcusque sonoros.
Assimulat, mentemque palam testatur amictu.
Nec pudet Ausonios currus et iura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum:
Insignemque habitum Latii mutare togaeque.

et Constantinopoli et Romae permultorum virorum tum consuetudo erat, quo Synesius vehementer afflictus, Stilicho autem commotus est ut lege statueret: „usum Tzangarum atque Bracharum intra Urbem venerabilem nemini licere usurpare; si quis autem contra hanc sanctionem venire temptaverit, sententia viri illustris Pf. spoliatum cum omnibus facultatibus tradi in perpetuum exsilium praecipimus“ [38]).

Rufinus autem „occultator animi“, Gothorum vestem induens Romanorum togam minime mutasset, si cum Gothis vel contra Arcadium imperatorem vel contra Romanos eiusdem imperio subditos clandestina consilia quodammodo concoxisset.

Hoc unum Rufinus stulte fecit, quod quum auxiliariis barbaris consueta dona subtraxit, tum Alarichum, postulato non omnino iniquo negato, infestum sibi reddidit. Haec inimicitia Rufinum inter atque barbaros orta, vera atque integra seditionis a Gothis motae causa fuisse mihi videtur.

Ubi vero Rufinum, quum auxiliarios donis non amplius ditare vellet, non sola avaritia ductum esse fere putaverim. Crediderim, Theodosio barbarorum amico mortuo, Gallum praevalentibus in republica Romana Gothis obsistere, nimiam eorum potentiam certis finibus circumscribere, immo — quoad fieri posset — imminuere atque exstinguere studuisse.

Qua in re id egisse mihi videtur, ut Gothi in romanis provinciis recepti non iam milites foederati, sed

38) Cod. Theod. lib. XIV. tit. 10. l. 2. anno CCCXCVII. Hic mos ita inveteratus est, ut aliis etiam legibus impugnaretur; quarum duae exstant in cod. Th., altera ad ann. CCCXCIX, altera anno CCCCXVI edita (cod. Th. lib. XIV. t. 10. l. 3 atque XIV. 10. 4.), quibus Romani a barbaro habitu atque vestitu, maioribus crinibus, indumentis pellium cet. prohibentur,

De Tzangis atque Brachis vid. Gotofred. comment. ad cod. Th. XIV. 10. 2.

subditi cives tractarentur: Gothos enim, putaverit, viginti fere annis ante Romanorum auxilio e manibus Hunnorum ereptos minime decere, tributum annuum perpetuo flagitare, sed iis magni habendum esse, quod ipsi tributum non facerent. Ita, ut uno exemplo utar, Synesius in oratione coram Arcadio imperatore habita de his rebus agit [39]); neque multum abest quin credam, id viros orientalis imperii summos molitos esse, ut Gothi pelliti a superioribus honoribus in senatu, in publicis officiis, in exercitu magis magisque arcerentur; atque hanc praecipue fuisse causam subtractorum Gothis donorum, negatorum Alaricho agminum Romanorum, tumultus denique a Gothis facti.

Sed deinde, hac Gothorum seditione conflata, eo fortasse Rufinus Alarichi animum sibi reconciliare potuisset, ut, vel utriusque militiae, vel totius exercitus orientalis ducem barbarum creans, honoratissimum fere locum apud principem ei concederet [40]). Sed facile ap-

39) Synes. *περὶ βασιλείας* cap. 22 init.: *Ἀρχῶν δὲ δὴ καὶ πρῶτον ἀπεληλάσθων, καὶ τῶν ἐν βουλευτηρίῳ γερῶν ἀποκεκόφθων, οἷς ὑπῆρξεν αἰσχύνη τὰ παρὰ Ῥωμαίοις πάλαι καὶ δοκοῦντα καὶ ὄντα σεμνότατα. ἐπεὶ νῦν γε καὶ τὴν βουλαίαν Θέμιν αὐτὴν καὶ θεὸν οἶμαι τὸν στράτιον ἐγκαλύπτεσθαι, ὅταν ὁ σισυφόρος ἄνθρωπος ἐξηγῆται χλαμύδας ἐχόντων, — — κ.τ.λ.* cf. cap. 23.

40) Alarichus, postquam omnium in Thracia dispersorum barbarorum seditiosorum dux factus, in medio regno Romanorum gravissimi momenti conditionem assecutus est, duo per omnem vitam proposita tenebat. Unum ut ipse non solum barbarorum foederatorum imperium teneret, sed etiam eodem tempore quam honestissimum in Romanorum exercitu ordinem ducendum, quam maximam in republica Romana auctoritatem, ab ipsis imperatoribus datam impetraret.

Alterum vero, ut Gothis ceterisque barbaris qui eum secuti sunt (Zosim. V. 5. *ἢ ἄλλως σύγκλυδας ὄντας*; Hieronym. ep. ad Heliodor. anno CCCXCVI scripta (Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni), et bellis quam saepissime gerendis praedarum divitiarumque appetendarum copiam praeberet, et post bellum gestum praedia iisdem in ulla imperii provincia iis-

paret, Rufinum eo indulgentiae progredi non potuisse, nisi quidem ipse potentiae suae fundamenta evertere

---

dem fere conditionibus acquireret, quibus anno CCCLXXXII eorum patres vel alia ratione cognati a Theodosio imperatore in Thracia et Asia agros acceperant. — Quarum conditionum duae erant praestantissimae: altera, ne Gothi per multas et varias provincias ut possessores dispersi Romanorum vi magis magisque succumberent, sed ut in una eademque provincia contermina praedia assecuti, suo iure, suis legibus, suis moribus tutius atque commodius vivere possent; altera autem, ut propriis principibus minime subditi, sub principatu imperioque principis Romanorum essent.

Quo factum est ut Alarichus cum Gothis suis usque ad eo in seditione atque bello contra imperatores permaneret, quoad alter uter princeps vel eiusdem praefectus summi ducis dignitatem Alaricho et agros Alarichi barbaris concederet, aut spem belli imperatoris nomine gerendi iis daret. Quare, quum Eutropius Epirum provinciam Alaricho concederet, contra orientale imperium hic Gothos suos bellandi cupidos non amplius duxit, sed in occidentale regnum invasit. Neque iam Illyrici occidentalis praefectus posteriore tempore a Stilichone factus, Stilichoni Honorioque bellum fecit, sed provinciarum orientalium Honorii nomine occupandarum cum Vandalo rationem instituit. Deinde vero, et hac belli spe Honorii mandatis (Sozomen. IX. 4. Zosim. V. 29.) frustrata, et pecunia promissa non data, Stilichone insuper trucidato, contra Italos arma tulit.

Nihilominus quum anno CCCCIX universam fere Italiam, Ravenna urbe excepta, teneret, Alarichus praeter quasdam alias minoris momenti, has tantum pacis conditiones tulit, ut ipse cum suis omnibus utramque Pannoniam et Noricum Dalmatiamque incoleret; Iovium vero instituit, qui litteris Honorium cohortaretur, ut Alarichum utriusque militiae magistrum crearet. (Zosim. V. 48.) His conditionibus ab Honorio reiectis, cetera quidem moderate tulit; ubi verum negatum sibi gentique suae militiae magisterium vidit, summa ira commotus, Romam contendere barbaros suos iussit (Zosim. ibid.).

Non multo quidem post, Romanorum exercitu in unum tandem coacto, decem millibus insuper Hunnorum, (Gothis inde ab anno CCCLXXVI formidolosorum) aucto, Alarichus pro brevi tempore ab illis conditionibus desistens, nec sibi opus esse, dixit,

studeret. Quem non fugit, Alarichum illa dignitate ornatum et in palatio et in imperio moderando aemulum exstiturum esse eo gravioris momenti, quum barbarus magna Gothorum copia stipatus esset, qui duci deditissimi erant.

Semper cavendum fuisset Rufino, ne ab Alaricho, summo imperio militum instructo — ab altero quasi Stilichone — depelleretur aut trucidaretur; omnino enim Gallus non dubitaverit, quin Alarichus neque unquam ab invidia quam in praefectum haberet, desisteret, neque beneficio illo conciliaretur, quod non tam Galli favori, quam Gothorum suorum armis deberet.

Sententiam igitur nostram de causa seditionis ab Alaricho motae breviter complectens, nobis persuasum est, ad hanc rem explicandam occultis atque remotioribus non opus esse.

Rufinum iam eo, credo, quod consueta dona Gothis, Alaricho id quod petebat, negavit, tantam barbaris iram movisse, qui statim armis poenam iniuriae ipsis illatae a Romanis repeterent. Quos omnino ad bellum contra Romanos gerendum facillime commoveri potuisse, inter omnes constat.

Ipso Theodosio barbarorum fautore regnante maxima pars Gothorum pacatorum, Eriulfo duce, iusiurandum, quod eo tempore iurassent, quo Romanorum se potestati permisisissent, negligendum, bellumque contra

---

dignitate potestatis, nec se iam postulatas prius provincias, sed Noricum tantum petere. (Zosim. V. 50.)

Deinde vero, quum Attalum Augustum fecisset, ab hoc nihil nisi militares sibi praefecturas (una cum Valenti quodam) tradi iussit. (Zosim. VI. 7.)

Praeterea non negaverim, me ad ea quae Sybel (Entstehung des deutschen Königthums pag. 165, 166, 167.) de Alaricho constituit, multo libentius accedere, quam ad Koepkii (Anfänge des Königthums bei den Gothen pag. 109 — 128.) de celeberrimo Gotho sententiam.

imperatorem reiterandum esse dicebant; quod fortasse perfecissent, nisi Eriulfum Fravitta — eorum dux qui pacem servandam esse ducerent, — coram Augusto prostravisset [41]).

Nihilominus continua fere proelia in Macedonia [42]) Thracia [43]) atque ad Hebrum flumen [44]) sive ipsi Theodosio sive principis ducibus cum multis et variis barbarorum seditiosorum catervis committenda erant.

Theodosio vero mortuo, quum ipsis inimicum atque infestum cognovissent Rufinum, pacem revera frangere moliti sunt.

Neque vero, Eriulfo interfecto, habebant a quo ducerentur. Eodem autem tempore Alarichus ex Italia in Thraciam rediit; qui magnam iam famam apud Gothos habuit, qui quidem Thervingus ex Peuce insula oriundus [45]), Baltharum progeniem glorians [46]), Theodosium ipsum in proelio quodam ad Hebrum flumen facto paucis annis ante fugaverat [47]). Tum vero, ab Augusto

---

41) Excerpta ex Eunapii hist. corp. Byz. I. p. 48—50. Zosim. IV. 56. Koepke (pag. 117—18.) eos Gothorum qui Eriulfo duce bellum contra Theodosium statuerunt, Arianos, — eos contra paganos fuisse coniicit, qui, Fravitta duce, pacem factam servare voluerunt.

42) Zosim. IV. 48.

43) Zosim. IV. 40.

44) Claud. de bello Getico v. 524.

45) Claud. de VI. cons. Honor. v. 105.

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat. — Prudent. c. Symm. II. 695.

46) Iord. de reb. Get. cap. 29. cf. Köpke pag. 121.

47) Claud. de VI. cons. Honor. v. 107: Thracum
venientem (sc. Theodosium) finibus
alter (sc. Alarichus) Hebri clausit aquis.

Claud. de bell. Get. v. 524.
„Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi?" (sc. Alarichus.) Köpke pag. 120 coniicit hanc pugnam in annum CCCLXXIX; credere liceat eam anno CCCLXXXVI pugnatam esse. Claudianus enim anno CCCCII Alarichum iuvenem vocat (de bell. Get.

in gratiam receptus, nonnullas Gothorum cohortes (ut iam supra commemoratum est) in bello contra Eugenium gesto duxerat.

Arcadio denique et Honorio imperatoribus, eorum militum parti sine dubio praefuit, quos exhaustos atque reiiculos Stilicho, — quum Theodosius modo supremum diem obierat — in Orientem ablegavit [48]). Hoc iam Gothum aegre tulisse, facile adducor ut credam; deinde quum etiam ab orientalis regni praefecto — negato le-

---

v. 498: „Sed quoniam calidae rapuit te flamma iuventae"); unde apparet, anno CCCLXXIX Gothum puerum dumtaxat fuisse, ad ducendum exercitum qui Theodosium magnum impugnaret, non ita aptum. Contra crediderim, post victoriam a Promoto duce ad Istrum flumen de Greuthungis reportatam, anno CCCLXXXVI, Alarichum in Theodosium, qui tum Constantinopolim rediit, impetum ad Hebrum flumen fecisse. Scimus enim e Zosimi libr. IV. c. 39. imperatorem huic pugnae interfuisse; scimus praeterea e chronico Marcellini comitis, Theodosium post illam Promoti ducis victoriam Constantinopolim repetivisse. Marc. enim indict. XIV. dicit, invasam princeps ab hostibus Thraciam vindicavit, victorque cum Arcadio filio suo Urbem ingressus est. Scimus igitur, etiam Arcadium ibi cum patre versatum esse, cum patre Byzantium rediisse. Hoc si animadverteris, non amplius intellectu carebit, cur Alarichus dixerit „tot Augustos fugavi." Theodosius enim anno CCCLXXXVI proelio a Promoto cum Greuthungis commisso interfuit una cum Arcadio filio, quem iam antea Augustum declaraverat; ambo vero Augusti, quum post victoriam illam Byzantium revertere studerent, ab Alaricho inopinato invasi, fugati sunt.

Maioris etiam momenti quam Marcellinus testis est Idacius, qui dicit in Fastis ad annum CCCLXXXVI „victi atque expugnati et in Romana captivi adducti sunt gens Greothingorum a nostris Theodosio et Arcadio. Deinde cum victoria ingressi sunt Constantinopolim die IV. Idus Octb." — Illos Gothos captivos cognatae gentis Alarichus manibus Theodosii exsolvere fortasse studuit; — nisi, Zosimum secuti, poneremus, Theodosium statim e victoria impetrata captivos vinculis liberatos dimisisse, muneribus demulsisse, et inter foederatos, ut aptos ad bellum contra Maximum tyrannum gerendum, accepisse.

48) vid. supra.

imperatorem reiterandum esse dicebant; quod fortasse perfecissent, nisi Eriulfum Fravitta — eorum dux qui pacem servandam esse ducerent, — coram Augusto prostravisset [41]).

Nihilominus continua fere proelia in Macedonia [42]) Thracia [43]) atque ad Hebrum flumen [44]) sive ipsi Theodosio sive principis ducibus cum multis et variis barbarorum seditiosorum catervis committenda erant.

Theodosio vero mortuo, quum ipsis inimicum atque infestum cognovissent Rufinum, pacem revera frangere moliti sunt.

Neque vero, Eriulfo interfecto, habebant a quo ducerentur. Eodem autem tempore Alarichus ex Italia in Thraciam rediit; qui magnam iam famam apud Gothos habuit, qui quidem Thervingus ex Peuce insula oriundus [45]), Baltharum progeniem glorians [46]), Theodosium ipsum in proelio quodam ad Hebrum flumen facto paucis annis ante fugaverat [47]). Tum vero, ab Augusto

---

41) Excerpta ex Eunapii hist. corp. Byz. I. p. 48—50. Zosim. IV. 56. Koepke (pag. 117—18.) eos Gothorum qui Eriulfo duce bellum contra Theodosium statuerunt, Arianos, — eos contra paganos fuisse coniicit, qui, Fravitta duce, pacem factam servare voluerunt.

42) Zosim. IV. 48.

43) Zosim. IV. 40.

44) Claud. de bello Getico v. 524.

45) Claud. de VI. cons. Honor. v. 105.

Alaricum barbara Peuce
Nutrierat. — Prudent. c. Symm. II. 695.

46) Iord. de reb. Get. cap. 29. cf. Köpke pag. 121.

47) Claud. de VI. cons. Honor. v. 107: Thracum
venientem (sc. Theodosium) finibus
alter (sc. Alarichus) Hebri clausit aquis.

Claud. de bell. Get. v. 524.

„Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi?“ (sc. Alarichus.) Köpke pag. 120 coniicit hanc pugnam in annum CCCLXXIX; credere liceat eam anno CCCLXXXVI pugnatam esse. Claudianus enim anno CCCCII Alarichum iuvenem vocat (de bell. Get.

in gratiam receptus, nonnullas Gothorum cohortes (ut iam supra commemoratum est) in bello contra Eugenium gesto duxerat.

Arcadio denique et Honorio imperatoribus, eorum militum parti sine dubio praefuit, quos exhaustos atque reiiculos Stilicho, — quum Theodosius modo supremum diem obierat — in Orientem ablegavit [48]). Hoc iam Gothum aegre tulisse, facile adducor ut credam; deinde quum etiam ab orientalis regni praefecto — negato le-

---

v. 498: „Sed quoniam calidae rapuit te flamma iuventae“); unde apparet, anno CCCLXXIX Gothum puerum dumtaxat fuisse, ad ducendum exercitum qui Theodosium magnum impugnaret, non ita aptum. Contra crediderim, post victoriam a Promoto duce ad Istrum flumen de Greuthungis reportatam, anno CCCLXXXVI, Alarichum in Theodosium, qui tum Constantinopolim rediit, impetum ad Hebrum flumen fecisse. Scimus enim e Zosimi libr. IV. c. 39. imperatorem huic pugnae interfuisse; scimus praeterea e chronico Marcellini comitis, Theodosium post illam Promoti ducis victoriam Constantinopolim repetivisse. Marc. enim indict. XIV. dicit, invasam princeps ab hostibus Thraciam vindicavit, victorque cum Arcadio filio suo Urbem ingressus est. Scimus igitur, etiam Arcadium ibi cum patre versatum esse, cum patre Byzantium rediisse. Hoc si animadverteris, non amplius intellectu carebit, cur Alarichus dixerit „tot Augustos fugavi.“ Theodosius enim anno CCCLXXXVI proelio a Promoto cum Greuthungis commisso interfuit una cum Arcadio filio, quem iam antea Augustum declaraverat; ambo vero Augusti, quum post victoriam illam Byzantium revertere studerent, ab Alaricho inopinato invasi, fugati sunt.

Maioris etiam momenti quam Marcellinus testis est Idacius, qui dicit in Fastis ad annum CCCLXXXVI „victi atque expugnati et in Romana captivi adducti sunt gens Greothingorum a nostris Theodosio et Arcadio. Deinde cum victoria ingressi sunt Constantinopolim die IV. Idus Octb.“ — Illos Gothos captivos cognatae gentis Alarichus manibus Theodosii exsolvere fortasse studuit; — nisi, Zosimum secuti, poneremus, Theodosium statim e victoria impetrata captivos vinculis liberatos dimisisse, muneribus demulsisse, et inter foederatos, ut aptos ad bellum contra Maximum tyrannum gerendum, accepisse.

48) vid. supra.

gionum Romanarum imperio — laesum sese putaret, non dubitavit, Gothis tumultum molientibus sese adiungere, iisque ducem sese praebere ad bellum contra Romanos gerendum.

Rufinum autem magno terrore perculsum fuisse non dubitaverim, quum intellexisset, quam magnae calamitates ex ipsius vel tenacitate avaritiaque vel barbarorum omnino tractandorum ratione manarent; qui quum Eutropii insidiis, Stilichonis adventu impendente, irruptione ab Hunnis in Asiam facta, vehementer afflictus esset, iam cognovit, sese imprudenti sua rerum publicarum gerendarum ratione Gothos etiam, Alaricho duce atroce, ad obsidendam Constantinopolim provocasse.

Attamen, quamvis licet negemus, Rufinum aut ad tumultum edendum concitasse Gothos, aut omnino ullam cum barbaris collusionem vel contra imperii [49]) salutem, vel contra Arcadium imperatorem habuisse, tamen concedo, — ut Macedonia, Illyricum, Thessalia, Graecia a barbaris pervastarentur, quodammodo praefectum effecisse. Quod si quintum caput quinti libri Historiarum Zosimi cognoverimus, perspicuum nobis erit.

Zosimus enim, postquam ita narravit in extremo capite quarto: „nam quum post deiectum imperio Eugenium Theodosius in Italia rebus humanis excessisset, Stilicho, qui dux totius exercitus erat, robustissimos et bellicosissimos quosque milites sibi retinuerat; viribus exhaustos et reiiculos in Orientem ablegans. His ita constitutis, quum Rufino succenseret, qui potestatem sibi parem per Orientem haberet [50]): ad Arcadium proficisci cogitabat, cupiens et illius res pro libito suo disponere. Nam dicebat, a Theodosio moribundo sibi datum in

49) Imperii scilicet ipsi Rufino commissi.

50) „ἔχων τε πρὸς Ῥουφῖνον ἐγκότως, οἷα δύναμιν αὐτῷ ἀντίῤῥοπον κατὰ τὴν ἑῴαν ἑῴαν βουλόμενος.“

mandatis, ut omni cura principem utrumque complecteretur“, — Zosimus inquam, haec percontatus, in quinto capite ita pergit:

„Haec Rufinus animadvertens, quavis arte moliebatur, ut profectionem Stilichonis in Orientem averteret; neque vero Arcadii copias militares dissipari, ac debiliores reddi voluit [51]). Quae omnia sollerter agere instituens, homines nequiores ad ista perficienda reperit, quam cuperet: quorum usus opera magnorum Romano imperio malorum auctor exstitit..... Musonius, homo Graecus, tres habuit filios Musonium, Antiochum et Axiochum, etc. Hunc (Antiochum) Rufinus, idoneum instituto suo repertum, pro consule rebus Graeciae praeficit, dum facilem irruentibus barbaris Graeciae vastationem efficere nititur; simulque Gerontio praesidium ad Thermopylas tradit, qui et ipse consiliis eius adversus rempublicam subserviturus esset. His a Rufino per summam nequitiam designatis, postquam seditiosum esse, legibusque sese eximere vidit Alarichum (qui permoleste tulit, militum Romanorum [52]) se copiis haud praefici, sed eos dumtaxat habere barbaros, quos Theodosius ei tradiderat, quo tempore cum illo tyrannidem Eugenianam everterat) secreto ei significat, ut quos secum haberet barbaros aliosve collectitios diversarum gentium milites, ulterius duceret, quippe qui omnibus absque labore potiri posset. His fretus Alarichus e Thracia discedit, et in Macedoniam Thessaliamque progreditur, interiectis omnibus excidio datis. Propius autem ad Thermopylas delatus, clam ad proconsulem Antiochum mittit adque Gerontium, Thermopylarum custodiae praefectum, qui suum eis adventum nuntiarent. Gerontius cum praesidiariis abscedit, transitum

51) καταλῦσαι δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ ἀθενέστεραν τὴν οὖσαν Ἀρκαδίῳ στρατιωτικὴν δύναμιν καταστῆσαι.

52) vid. supra.

liberum, omni absque impedimento, barbaris in Graeciam relinquit" cet.

Ex his Zosimi (vel potius dicam Eunapii [53]) primum id summi momenti intelligitur, Rufinum Gothos ut tumultum facerent minime incitasse, sed seditiosis uti cogitasse ad repellendum Stilichonem aemulum Constantinopolim profecturum.

Quod, — qui supra explicata assensu comprobaverit, — certe non refutabit sed verisimile habebit, quidquid dicant illius temporis ceteri scriptores omnes, quidquid etiam pauci illi viri docti, qui recentiore aetate Stilichonis et Rufini res gestas enarraverint. Rufinus enim summis illo tempore angustiis premebatur. Constantinopoli Eudoxia Augusta Gallo infesta, Arcadius princeps et uxoris dilectissimae et Eutropii familiarissimi (cui, quum praepositus sacri cubiculi esset, saepissime data erat facultas ad commercium sermonis cum imperatore) opera magis magisque abalienatus a praefecto; cunctus populus praefecti odio flagrans, Asia ab Hunnis vastata, Constantinopolis a Gothis obsessa; deerant maiores militum copiae; Stilicho, in Occidente omnibus bene compositis, Constantinopolim iam duobus stipatus exercitibus profecturus, Rufinum depulsurus, exstincturus.

Vandalum ut Byzantio arceret, inprimis Rufino curae fuit; nam singulari licet calamitate afflictus, vitam tamen atque reipublicae gubernaculum sibi servare voluit. Itaque statuit, Alarichum ceterosque Gothorum duces in ipsis eorum castris conveniendos, et ad quasdam conditiones descendendum esse; quare geticas vestes indutus, quibus vel uti solebat, vel blandiri Gothis studuit, barbarorum castra ducesque adgressus, pecunia

53) v. Reitemeyer „commentarius historicus" in Zosimi libr. V. cap. I. ac cap. 26.

data [54]) plus certe pecuniae dare iam coactus est quam antea negaverat) ab iis impetravit, ut, omnia licet depraedantes, praefecti tamen praediis parcerent; impetravit vero hoc etiam gravioris momenti, ut Constantinopoli desistentes, e Thracia decederent.

Huiusmodi Byzantio servato, proximaque a foribus amota molestia, si nihil aliud, respirare tamen et animum aliquantulum colligere vexati potuerunt.

Sed longe maiorem rem Rufinus in illis cum Gothis conventibus egisse ac confecisse mihi videtur.

Zosimus enim (vel Eunapius) narrat, Rufinum Gothis seditiosis uti volentem ad avertendam Stilichonis profectionem, Graeciam iis direptioni reliquisse. Mira sine dubio narratio: nihilominus, rerum statu atque Zosimi narratione accuratius perquaesitis, additisque iis quae alii scriptores de hac re exhibent — quomodo illo tempore revera res factae sint, clarius apparebit.

Primum quidem si supra laudatam Zosimi de Rufini consilio sententiam legeris, scriptorem aut ipsum non satis accurate disseruisse, aut Eunapii, ex cuius libris hausit, narrationem non satis perspexisse crediderim. Nam hoc inauditum fere atque incredibile sit, virum rerum publicarum non plane imperitum ad arcendum hostem per quasdam provincias appropinquantem, alias longe remotas provincias aliis hostibus vastandas permisisse. Nullo modo igitur credideris, Rufinum, quo Stilichonem per septentrionales Illyriae regiones appropinquantem ad reditum cogeret, Gothis pervastandam Thessaliam atque Achaiam tradidisse.

Sed putaveris fortasse, Rufinum id egisse, ut, remotiore quadam regni parte in praesens barbaris relinquenda, Constantinopolim servaret, atque, provinciis Urbi propinquis Gothorum discessu sublevatis, cum iis quas in Urbe coactas habuit copiis Stilichoni resisteret.

54) Marcellini chronicon: Rufinus Patricius . . . . . . Alarichum Gothorum regem, missis ei clam pecuniis cet.

Neque vero haec Rufini ratio fuisse potest; nam quum Vandalus summam militum sibi quam maxime deditorum copiam secum duceret, Gallus non nisi perpaucis collecticiis atque reiiculis circumseptus erat. Quibus copiis bellicoso occidentalis imperii praefecto et Byzantii populo, summo Galli odio flagranti, Rufinus nullo modo resistere potuisset.

Nihilominus, ut iam supra diximus, Zosimus a vero non plane aberravisse, quum Rufinum ipsis Gothis seditiosis ad avertendum Stilichonem uti voluisse contenderet, demonstrandum est. Notissima enim ratio est virorum et reipublicae et belli gerendi peritorum, contra hostem, a quo ipsorum regnum tueri student, alios incitare, quorum opera vis hostilis impetus imminuatur; id vero summo studio efficere student, ut talibus incursionibus hostis ad ipsius possessiones defendendas retorqueatur. Notissima imprimis ratio virorum orientale regnum Romanum gubernantium, hostibus suis uti ad refringendum aliorum hostium impetum.

Iam accuratius animadvertas, quo Alarichus cum Gothis suis, postquam Byzantii obsidionem omiserunt, Thracia relicta iter suum moverint. Qui extra Thraciae fines egressi, minime Thessaliam Graeciamve petierunt, sed Macedoniam Moesiamque depopulati, Illyrici occidentalis fines transierunt atque, Socrate, Claudiano [55]), Philostorgio [56]), Hieronymo [57]) testibus, Dalmatiam tentaverunt, Pannoniam incenderunt, immo universum fere Illyricum occidentale vastaverunt.

Illyricum enim occidentale praeter Noricum provinciam, a Moesia Macedoniaque partem Illyrici remotissimam, praeterque regionem inter Savum Dravumque fluvios sitam, e Dalmatia Pannoniaque compositam fuisse constat. De Norico, num illo tempore a Gothis perturbatum sit, non omnino diiudicaverim; regionem vero inter Dravum Savumque flumina, inter Pannoniam Dalmatiamque sitam, neque natura neque castellis satis munitam, Gothorum irruptionis expertem fuisse, vix credendum sit. Adde quod hanc meam opinionem Socrates confirmat, qui ita narrat [58]): „Etenim Alarichus . . . . . Constantinopoli vero decedens, ad Occidentis partes transgressus est. Quumque in Illyricum pervenisset, late cuncta vastare coepit.“

Quibus rebus mihi constat, Gothos quum primum Byzantio oppugnando desisterent, non solum Macedoniam Moesiamque, sed etiam universum Illyricum occidentale populabundos pervagatos esse.

Neque etiam in orientalibus provinciis vastandis longiorem moram barbaros fecisse patet; nam quum Theodosius Magnus mense Ianuario anni CCCXCV mortuus sit, Alarichus vero post imperatoris mortem Constantinopolim remitteretur, mense demum Februario ibi Gothum advenire, Gothorum ducem creari potuisse liquet; deinde vero, postquam circa Byzantii urbem quoddam

---

55) De Socrate vid. pag. 51. Claud. in Ruf. II. v. 37 sqq. v. 45.

56) Philostorg XII. 2: *ὅτι κατὰ τοὺς προειρημένους χρόνους Ἀλάριχος Γότθος τὸ γένος, περὶ τὰ τῆς Θράκης ἄνω μέρη δύναμιν ἀθροίσας, ἐπῆλθε τῇ Ἑλλάδι καὶ τὰς Ἀθήνας εἶχε καὶ Μακεδόνας, καὶ τοὺς προσεχεῖς Δαλματὰς ἐληΐσατο.* Philostorgius non nisi eo res indiligentius enumerat, quod de Graecia vastata prius quam de Macedonia Dalmatiaque locutus est.

57) Hieronym. ep. ad Heliodor. anno CCCXCVI scripta: Scythiam, Thraciam, Macedoniam Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus cet. vastant, trahunt, rapiunt.

58) Socrat. VII. 10. *Ἀλάριχος γὰρ .... ἀναχωρήσας δὲ τῆς Κωνσταντίνου πόλεως, ἐπὶ τὰ ἑσπέρια μέρη διέβαινε. γενόμενος δὲ ἐπὶ τὰ Ἰλλυριῶν, εὐθὺς πάντα ἀνέτρεπε.*

Huic consentit ipse Claudianus, qui canit in Ruf, II. 38.

— — — omnis qua mobile Ponti
Aequor et Hadriacas tellus interiacet undas.

tempus haesit, iam mense Martis Illyricum occidentale intraverat; Stilichonem enim „primo vere“ [59]) contra Alarichum cum exercitibus profectum, Alpes transgressum esse, Gothos ex Illyrico occidentali repulisse, e Claudiani libris contra Rufinum scimus. Unde summo iure una cum Socrate (v. pag. **51**) nobis colligendum erit, belli quo tum s e p t e n t r i o n a l e s peninsulae Hadriaticum inter atque Euxinum Aegaeïcumque mare sitae regiones Alarichus vastavit, summam vim atque impetum non tam in orientalis regni provincias inter Danubium flumen atque Aegaeïcum mare sitas, quam in occidentalis regni provincias Illyricas conversum esse.

Crediderim igitur, ex iis quae supra laudati scriptores tradunt, Zosimi narrationi coniunctis colligendum esse primum:

Rufinus pecuniis dandis a Gothis seditiosis impetravit, ut, Thracia relicta, regnum occidentale Stilichoni commissum invaderent: quo Stilichonem, moram interponens, a Byzantio petendo ad tempus arcere voluit. Gothi vero, illuc profecti, etiam tum orientalis imperii provincias in itinere vastare more barbarorum non dubitaverunt; nam qui ex Thracia egrediens Dalmatiam aut Pannoniam petit, pervadit aut Macedoniam aut Moesiam, quarum provinciarum utraque a Gothis tum incensa est.

Iam vero paucis verbis exponendum erit, qua ratione, quo itinere Gothi ad vastandas Graeciae provincias, primum ad Thessaliam delendam ducti sint. Non plane negaverim quidem, perpaucos fortasse barbarorum iam inde a profectione exercitus e Thracia per Macedoniam in Illyricum occidentale facta deflexisse, finitimas Thessaliae regiones pervagaturos; sed longe alia fuit magni agminis ab Alaricho ducti ratio.

59) Claud. in Ruf. II. 101.
At Stilicho, Zephyris quum primum bruma remitti
Et iuga diffusis nudari coepta pruinis cet.

Hos enim barbaros non nisi ex Illyrico Epiroque armis vel potius fama Stilichonis cum exercitibus appropinquantis reiectos in Thessaliam irrupisse, e Socratis Claudianique locis apparet.

Socrates enim, — iis quae supra (pag. **51**) commemoravimus narratis, — ita fere pergit:

„Porro transeunti (Alaricho) obstiterunt Thessali circa ostia“ (non tam locus quo fluvius maris undis coniungitur, sed ea regio qua e montibus flumen in planitiem descendit, hic intelligitur — vid. not. **60**) „Penei fluminis, unde per montem Pindum iter est versus Nicopolim Epiri. Commissaque pugna tria circiter millia ex eius exercitu peremerunt. Post haec barbari qui cum illo erant, quidquid obvium fuisset, igni ferroque vastantes [60]) cet.“

Adde Claudianum, qui postquam narravit Pannoniam a Gothis incensam esse [61]), ita canit:

Vix Alpes transgressus erat (sc. Stilicho), nec iam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens, se cogit in unam
Planitiem [62]).

60) Socrat. VII. 10. „*ἀναβαίνοντι δὲ αὐτῷ Θεσσαλοὶ ἀντέστησαν περὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πηνειοῦ ποταμοῦ, ὅθεν δι' ὄρους Πίνδου ἐπὶ Νικόπολιν τῆς Ἠπείρου ἀναβῆναι ἐστί. καὶ συμβαλόντες περὶ τριχιλίους ἀνεῖλον οἱ Θεσσαλοί. μετὰ δὲ ταῦτα πᾶν τὸ παραπεσὸν ἀφανίζοντες οἱ σὺν αὐτῷ κ. τ. λ.*“

ἐκβολὴ (ostia) hoc Socratis loco nullo modo ad celeberrimam illam vallem referri potest, quae Tempe vocatur: contra illa regio respicienda est, ubi Peneus fluvius cum multis fluminibus quae illi affluunt, e Pindi montibus in magnam Thessaliae planitiem erumpit. Inde ex hac occidentali Thessaliae parte viae per angustias, Pindi in Epirum ducunt.

Epirum vero a Gothis vastatam esse Claudianus quoque testatur, in Eutropium II. 214. 215.

— — — — Vastator Achivae
Gentis et Epirum nuper populatus inultam cet.

61) Claud. in Ruf. II. 45.

62) ibid. v. 124—127.

Hanc vero planitiem in Thessalia fuisse constat e versibus eiusdem libri 171—172:

„Interea Stilicho, iam laetior hoste propinquo,
Nec multo spatiis distantibus aequore vallis;"

ac v. 179 „Implet Thessaliam ferri nitor" [63]).
Res igitur ita gestas esse certe credo:

Gothi, magnam Illyrici occidentalis partem pervagati atque depopulati, impetum Stilichonis, qui cum summo exercitu in orientale regnum primo vere profectus est, non sustinuerunt, sed septentrionali Illyrico relicto, Vandali irae elapsi, praeter oram Hadriatici maris proficiscentes, meridionale Illyricum atque Epirum ad Nicopolim urbem usque vastaverunt. Inde a sinu Ambraciensi Alarichus ad interiorem huius provinciae partem deflexit, denique — Gomphos versus — Pindum montem transcendit prope illum locum, quo Peneus fluvius Thessaliae planitiem ingreditur; in hanc regionem uberrimam irrupit, atque cum Thessalis bellum gessit.

Ita igitur credo, res occultiores quodammodo explanatas esse. Omnino non nego, ut iam supra dixi, huius rerum narrationis maximam partem non nisi ex scriptorum locis acrius inter se comparatis atque ex rerum Rufini, ut tum erant, statu iterum iterumque considerato, a me haustam esse. Nullo quidem modo mirandum est, quod populus Romanus crudelissima totius Graeciae vastatione, omnino misera regni conditione, quam non sine iure Gallo vitio verterunt, summo nequissimi viri odio flagrans plane non dubitavit quin Rufinus libero arbitrio, sua sponte omnes calamitates, quibus tum regnum oppressum est, creaverit. Romanos vero

---

63) **Gibbon** cap. 29. narrat, Gothos ad Thessalonicam urbem in unum se coëgisse. **Claudianus** autem nil narrat, nisi exercitum orientale a Stilichone remissum e Thessalia Constantinopolim regressurum, „muros Thessalonicae subivisse." In Ruf. II. 279. „— — — murosque subibat
Thessalonica, tuos."

de Gallo aliter iudicare neque Stilichonis neque Eutropii intererat, quorum fraudibus Rufinus interemtus est.

Contra mihi Rufinus inter illos viros habendus esse videtur, qui, patriam negligentes, nihil nisi ipsorum res curantes, calliditate quidem atque sagacitate excellunt, neque vero superiore quodam ingenio instructi sunt, quo vel maiora cogitare ac perficere vel maioris momenti pericula exstinguere possunt. Gallus id tantum in rerum statu quo tum versatus est, curasse mihi videtur, ut praesens ac proximum periculum propulsaret; quare tum Gothos seditiosos pecuniis dandis contra Stilichonem appropinquantem incitavit; hoc modo enim certum tamen temporis spatium sibi comparavit, quo praesenti periculo non ita premebatur.

Quod quidem per se non ineptum erat; neque vero Gallus Gothorum morem satis perspexerat, qui praefecto ac reipublicae omnino non deditissimi neque Stilichonem intentis viribus impugnaverunt neque, ex Illyrico depulsi, regni orientalis rebus mixtis atque turbatis, nullo eos prohibente, integras provincias meridionales depopulari dubitaverunt. Rufinum igitur non nisi infausta rerum publicarum tractandarum ratione, qua tum usus sit, auctorem Graeciae deletae factum esse credo: ipsum vero Rufinum Gothis Graeciam delendam commisisse, non concedendum erit.

Illius temporis scriptores eodem fere modo ac populum de Rufino sensisse, iam supra demonstravimus; nihilominus apud nonnullos vestigia quaedam veri inveniuntur. Inter quos ipsum Claudianum, quamquam omnino minime alienus est ab acerbissimis Rufini maledictionibus atque a Gallo summae malitiae pravitatisque insimulando, — quo modo re vera tum res gestae sint, non *plane* fugisse videatur [64]).

---

64) **Claudianus** enim, quamquam (in Ruf. I. v. 306.) cecinit, Rufinum, „sceptris minas inferentem," Gothos ad tumultum

Eunapius vero, qui et aequalis erat Rufini, et in orientalibus partibus regni Romani vitam agebat, sententias suas propius ad veritatem adduxit: qui minime narrat Rufinum aut ad impetrandam Caesaris dignitatem, aut ad struendas Arcadio insidias, aut Stilichonis causa Gothos in rebellionem faciendam instigasse; sed iam seditiosis uti voluisse praefectum exhibet ad arcendum Constantinopoli Stilichonem. Deinde quidem idem scri-

---

cedendum incitasse, dicit (in Ruf. II. v. 3—21.) Gallum, Stilichonis consiliis cogitationibusque de utriusque imperii praefectura impetranda vehementer commotum, ultimam spem in barbaris rebellantibus collocavisse.

Mira quidem Claudiani ratio, qui quum sine dubio sentiret, Stilichonis consilia atque Gothos seditiosos a Byzantio desistentes, contra Illyricum occidentale profectos, ullo modo inter se cohaerere, tum ad maledicendum Rufino, Gallum Gothos in tumultum movendum instigasse, niti vult; quare non nisi verborum pompam atque ridiculas fere ineptias edere potuit, quibus Gothos a Rufino, — deliro magis quam maligno — ad seditionem concitatos esse comprobaretur:

II. v. 3: Iamque tuis, Stilicho, Romana potentia curis,
Et rerum commissus apex. Tibi credita fratrum
Utraque maiestas, geminaeque exercitus aulae,
Rufinus (neque enim patiuntur saeva quietem
Crimina, pollutaeque negant arescere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, et solito pacem vexare tumultu.
Haec etiam secum: „Quanam ratione tuebor
Spem vitae fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis: hinc milite cingor.
Heu quid agam? non arma mihi, non principis ullus
Auxiliatur amor. Matura pericula surgunt
Undique, et impositi radiant cervicibus enses.
Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu,
Insontesque meae populos miscere ruinae?
Everso iuvat orbe mori. Solatia leto
Exitium commune dabit: nec territus ante
„Decedam. Cum luce simul linquenda potestas!!"

„Haec fatum" Rufinum Hunnos Gothosque ad evertendum regnum incitasse vult poëta!

ptor — (si quidem Zosimus, quem hic sequi coacti sumus, in exhauriendo Eunapio non erraverit) — dixit, Stilichonis repellendi causa Gallum Gothis ceterisque barbaris qui cum iis essent, Graeciam praedae dedisse; quod nullo modo tolerandum esse iam supra demonstravimus. Quae si Eunapius re vera narraverit, eventu sine dubio atque exitu Rufini consiliorum: — Thessalia inquam, Boeotia, Attica, Peloponneso vastatis — deceptus, ea quae Gallus revera molitus sit, (quem Gothis Illyricum occidentale pervastandum commendavisse putamus,) non satis perspexerit, atque ea quorum Rufinus invitus auctor factus est, voluntate atque arbitrio praefecti comparata esse crediderit.

De Gerontio vero et Antiocho, a Rufino ad tradendam Gothis Graeciam institutis, nemo scripsit nisi Zosimus, neque crediderim, eum in his rebus narrandis Eunapium, sed rumorem quendam secutum esse; in libris enim ab ipso Eunapio scriptis ne verbum quidem legimus de Gerontio et Antiocho; qui ipse narrat, monachos Graeciae angustias (immo semitam illam, qua hostes Thermopylas circumvenire solebant) Alaricho prodidisse [65]).

Ita igitur res inter Rufinum ac Stilichonem gestas sese habuisse puto, — si perpaucis verbis comprehensa repetere licet, de quibus in nostro libello latius et fusius adhuc disseruimus:

Theodosio magno mense Ianuario anni CCCXCV mortuo, Rufinus in orientali, in occidentali regno Stilicho praefecti summam rerum tenuerunt; ambo inde ab illo tempore quo Rufinus — Promoto trucidato — Stili-

---

65) **Eunapius**, vita Maximi philosophi: *καὶ οὐκ εἰς μακρὰν πολλῶν καὶ ἀδιηγήτων ἐσπικληθέντων κακῶν . . . . ὅτε Ἀλάριχος, ἔχων τοὺς βαρβάρους διὰ τῶν πυλῶν παρῆλθεν, ὥσπερ διὰ σταδίου καὶ ἱπποκρότου πεδίου τρέχων, τοιαύτας αὐτῷ τὰς πύλας ἀπέδειξε τῆς Ἑλλάδος ἥτε τῶν τὰ φαιὰ ἱμάτια ἐχόντων ἀκωλύτως προσπαρεισελθόντων ἀσέβεια. καὶ .ὁ τῶν ἱεροφαντικῶν θεσμῶν παραγεὶς νόμος καὶ σύνδεσμος.*

choni insidias struere conatus est, inexpiabili odio invicem inflammati. Gallus filia sua Arcadio in matrimonium danda Caesaris dignitatem impetrare studuit; Vandalus a magno imperatore moribundo utriusque filii tutelam, utriusque exercitus imperium, utriusque regni administrationem sibi commissam contendit. Militari deinde seditione celerrime sedata, reiiculos exhaustosque quosdam milites ex orientali exercitu reiiciens, Constantinopolim remisit, inter quos Alarichus Gothus, quarundam eorum cohortium dux. Deinde Stilicho, Francis quoque Alemannisque pacatis, omnibus Italiae rebus internis atque externis bene compositis, profectionem Constantinopolim paravit ad Rufinum exstinguendum, ad orientalis imperii praefecturam arripiendam.

Interea Gallus, postquam Eutropii eunuchi opera Eudoxia Bautonis filia in Arcadii matrimonium ducta est, a Caesariae dignitatis spe iam longius remotus, et avaritia sua et regnandi ratione quum universum Orientem tum se ipsum in magnum discrimen vocaverat. Hunni Asiam, Armeniam populabundi pervagantur; Gothi, consuetis donis subtractis incensi, Alaricho — a Stilichone Constantinopolim remisso, ibi Rufini culpa violato, deinde barbarorum duce creato, Thraciam dilacerant, Constantinopolim circumsedent. Rufinus praefectus, his omnibus anctus calamitatibus, Eudoxiae Augustae odiosus, Arcadio imperatori iam minime acceptus, ab Eutropio ipsam Galli vitam petente, (Stilichoni insuper coniuncto) magis magisque submotus, Stilichonis aemulum oppressuri Constantinopolim adventum imprimis tremuit; quem ut Byzantio arceret, proxima ei cura fuit.

Quibus rebus Gothorum castra ingressus, ab eorum ducibus et pecuniis dandis et aliis etiam sine dubio concessis impetravit, ut a Byzantio desisterent, Illyricum occidentale ingrederentur. Gothi in itinere suo Macedoniam Moesiamque provincias more

barbarorum depopulati, Illyricum occidentale intrant, universum fere vastant.

De quibus rebus Stilicho certior factus, a profectione minime desistendum, immo cum utroque exercitu proficiscendum statuit. Primo vere signa movit.

Vix Alpes Vandalus transgressus est, quum Gothus, ad praedam magis quam ad pugnas intentus, Pannonia, Dalmatia, omnino Illyrico relictis, in regiones ad meridiem spectantes recedens, Epirum intravit, ad Nicopolim urbem usque pervenit. Inde ad orientem solem versus, Alarichus Pindum montem cum suis transgressus, per fauces ad Gomphos urbem sitas ad Peneum flumen venit, qua intrat in planitiem Thessaliae.

Hic Thessali (ad defendendam patriam evocati) Gothis obstiterunt; quos, quamquam primum in pugna commissa tria circiter millia barbarorum peremerunt, tamen deinde victos esse apparet.

Quo facto Gothi universam Thessaliam igni ferroque depopulari coeperunt.

THESES.

I. P. Sulpicius Rufus, anni LXXXVIII a. Chr. tribunus plebis, integri sincerique animi civis, tribus a se rogatis legibus non detrimentum imperii, non proprium commodum, sed salutem confirmationemque spectavit reipublicae.

II. Non tam fuere Vandali, Alani, Suevi quam Gothi, qui Radagaiso duce in Italiam descenderunt; quae Gothorum irruptio non anno CCCCVI sed anno CCCCV facta est.

III. Imperium Romanum occidentale anno CCCCXCIII potius quam anno CCCCLXXVI vel CCCCLXXX interiisse videtur.

IV. Non dubitandum est, quin Franci Aegidii, Romanorum in Gallia ducis, imperio per quoddam tempus sese subiecerint.

V. Henricus IV. constans nec non intelligens iuris potentiaeque regiae contra principum papaeque impetus defensor.